62886/B

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark

MONIGLIA, G.A.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

U3

https://archive.org/details/b30517795

L.q.3

DE AQVÆ VSV MEDICO IN FEBRIBVS

EPISTOLICA DISCEPTATIO

AVCTORE

IOANNE ANDREA MONEGLIA

REGIÆ CELSITVDINIS

COSMI III

MAGNI HETRVRIÆ DVCIS

ARCHIATRO

Et in celeberrimo Piſarum Lyceo Medicinam Practicam Ordinario loco edocente

Cui accedit celer excurſus in Librum Magni Hippocratis De Decenti Ornatu

Ad Sereniſſimum Etruriæ Principem

FLORENTIÆ Apud Cæſarem de Bindis. Sub ſigno S. Bernardi. *Super. perm.* 1700.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

all' Ill.mo Sig.r March.e Adimari
in segno di ossequio degl' Eredi dell' Aut

SERENISSIME
PRINCEPS.

NVllum morbi genus eſt, quod frequentius homines invadat, iuſtamq; periculi, ac interitus formidinem ingerat, quam febris; Omnem enim ętatem, tēperiem omnem hac corripi experimur, nullumq; cœli tractum, etſi temperatiſſimum, terrarum plagam nullam, licet omnium ſaluberrimam à febrium incurſione liberam intuemur; Proſilit omni ex loco infenſiſſimus hic ſacer ignis, voraciq; flamma depopu-

latur tenellas puerorum carnes, robuſtiora iuuenum membra, exangues, et iam rigentes ſenum artus, et quamquam prona magis ad febrem meritò illa dicantur corpora, quæ calidum, ſiccumq; temperamentum obtinuere, cum in his ob conſimiles qualitates [quemadmodum Peripatetici loqui amant] facilior ſit tranſitus ad ignem; tanta tamèn eſt illius vis, ac potentia, vt inimicas ſibi, et hoſtiles temperaturas, frigidas nempe, et humidas vincat, ſubitòq; flagrare cogat.

Felices ſanè illi, quibus invidenda ſorte contingit ſaluberrimus cęli hauſtus, aerque temperatus, ac lenis, nulla halituum contagione impurus, ventorumq; afflatu ſudus, atq; illuſtris; Hi ad longiſſima temporis ſpatia vitam traducent, et inculpata valetudine fruentur; Norint tamen, quod etiam ſi aeris optima conditione ab inſultu morborum liberentur, à febre minimè immunes euaſuros, cum per omnes terrarum partes effręnis excurrat, et deſtituta externarum cauſarum fotu, ab internis vitijs non rarò excitata ſubcreſcat.

Nivibus undequaq; operta, ac perpetuo gelu rigens Septentrionalis tellus, à ſe tamen febrilem ardorem arcere nequit, ſed quę Auſtro calet, longè magis febribus patet, cum huius

ſpiri-

ſpiritus afflatu promptiora ſint viſcera, vt igne corripiantur; Gens, quæ naſcentem excipit Solem, et quæ mergi videt occiduum, æſtu aeris, ſed magis febrium incendio torretur; quin? Tēpeſtas nulla ab huiuſmodi morbo evadit; Temperatiſſimum ſanè Ver eſt, et cum nulla alia Anni parte in ſalubritate conferendum; Viget tunc maximè natiuus calor, ac benigniſſimus omnium humor, et Naturæ theſaurus ſanguis exuberat, et tamen in hac æquali Anni ipſius ętate à febre invaduntur corpora, parumq; prodeſt moderatiſſimi aeris optanda ſalubritas.

Iam verò quantò magis Æſtate, et Autumno graſſabitur, cum intemperatæ anni partes ſint, et in illa ambientis fervor ad febrilem flammam viſcera traducat, in hoc ipſa dierum varietas degenerum humorum proventum, et copiam talem procreet, quæ regulari, regiq; à nativo, et domeſtico igne nequeat, noſquè modò caliditate relaxet, modò frigore opprimat, vnde languor, et virium infirmitas, quas plerumq; fractas, ac debiles hoſtilis febrium ardor aggreditur, nec hyems ipſa, vel imbre aſſiduo, aut glacie denſiori perfuſa febrile incendium extinguit, tunc enim denſatis corporum ſpiramentis, calidiſq; retentis halitibus, flammula, quæ in Cordis thalamo micare purior, placi-

diorq;

diorq; debet, acuitur, nouoq; virium incremento æſtuat.

Meritò igitur quod de quocumq; morbo protulit ſummus medicinæ dictator Hippocrates ad ſolas febres congruentius referri poſſe videtur, has ſcilicet cunctis anni temporibus ſæviſſimè procreari; At ſi in qualibet anni parte, et terrarum plaga quavis febres erumpunt, nullaq; ætas eſt, quę immunis, ac libera ab illarum inſultu reperiatur, erit vtiq; hoc valetudinis genus (ſcribente Celſo*) vulgare maxime, hominibuſque in primis metuendum, et in quo debellando medicorum ars ſæpius inſudet; Ceruorum invidenda ſors, ſi quidquam Plinio* credimus, animalia hæc ſuadenti non ſentire febres; Nil mirum igitur longiſſimæ ætatis exiſtere, et in libris hiſtoriarum referri vſque ad trecentos annos incolumes perduraſſe; Conditio hominum miſerrima, cum eorum aliquibus febris perpetuò fuerit, quemadmodum Mæcenati; Nos vndique circumſtant morborum agmina, qui vel ſilentio ſubeunt, vel aperto Marte expatiātur, ac ſæviunt; Non opus ad perniciem noſtram, ut acuatur ferrum, cudantur enſes, venena temperentur, levis etiam externarum cauſarum afflatus necare valet; Non tam vario genere

lib. 3, cap. 3. lib. 8. cap. 32.

nere vivimus, quam ægrotamus, et mors vt ſemèl nos iugulet, vel ſæpiſſimè experitur; id equidem admirabile, * id ſolitarium reperitur exemplum, Xenophilum muſicum centum, et viginti vixiſſe annos abſq; vllo vitæ incommodo; Hoc ſanè, hoc dignum vt à cunctis optetur, quãdoquidem nihil vtilius, nihil iucundius in humano dierum circulo, quod cum optima valetudine componi poſſit, reperiatur.

Verùm ſi tanta eſt naturæ fragilitas, vt ſæpius à ſãitate recedat, et alijs etiam obnoxia præter naturam affectionum inſultibus, frequentiſſimè tamen à mortifero febrium calore invadatur, non immeritò quot modis nos febris exerceat, Sapientiſſimos quoque Viros obſtupeſcere coegit, quoſdam enim aſſiduè torret, in aliis cum breves inducias dederit, quotidiè tamen recurrit, nonnullos alternis diebus vrit, et cum diem integrum præſtiterit, tertio redit; Alios quarta die occupat, et biduum liberum elargitur, interdum longioris adeò temporis circuitu, ac intervallo remeat, vt apud Plinium extiterit Antipater Sidonius Poeta, qui ſingulis annis natali die febre corriperetur; Interdùm principiò calet, non rarò frigida erumpit, tantuſq; horror eſt, vt vniverſum corpus concutiat,

Plin. l.b. 7. cap. 50.

at, frequenter rigore premit, mox levi tantùm algore in extremis partibus vrget; Alia ſic deſinit, vt omninò ſequatur integritas, alia ſic quidem, vt aliquantulum de ea minuatur, nihilominùs tamen veluti reliquiæ quędam ſuperſint, donec recens reuertatur acceſſio.

Iurè itaq; febris varium ac diriſſimum morbi genus appellabitur, cum Prothei ad inſtar in varias ſe ſe efferat formas, nullique hominum parcat; hinc ſedulò curandum eſt Medicis, vt certis remediorum opibus Dei munere, ac benevolentia conceſſis veluti tutiſſimis propugnaculis hunc naturæ humanæ tyrannum vel celerrimè exturbent.

Sed quamuis apud ſapientes homines ſatis exploratum ſit non ſolùm adverſus febres, multaſq; præter naturam affectiones inter remediorum materias nihil ſuavius, nihil pręſtantius frigidæ aquæ potu adinueniri, hoc tamen certum, probiſque medendi legibus, ratione, ac experimento munitum præſidium veluti fabuloſũ quid, et inane hac noſtra tempeſtate, et in vrbe è medicinæ limitibus à plurimis exibilatum exulat, adeo vt de eo cum Platone dici poſſit; *Præclarum quiddam veritas eſt, atq; durabile, attamen non facile id persuadere videtur*; nec mulieres dumtaxat, aut vulgi homines, ſed medentium pleriq;

riq; ex huiuſmodi remedio ventriculorum querelas, nativæ caliditatis iacturam in medium afferunt, atq; hydropis omne genus, inexpugnabiles obſtructiones, venarum ſciſſuras, innumerabileſq; alias calamitates infenſiſſimè comminantur.

Non ita exilis cymbę gubernator, qui modico velo vix portum ſtringere poſſit, dùm ſe altioribus Oceani fluctibus credere auſit, ſi in altum pervehatur, vt difficillimum ei ſit ad continentem ferri, nam vno emenſo ſinu, ſtatim alter maior aperitur, et dum longiſſima nauigatione non longè littora diſtare putat, novos ſuperandos vndarum tractus, ac ſemper creſcentem Pelagi planitiem videt, tantam aquarum vaſtitatem horret, quemadmodum frigidę hauſtus febricitantibus elargiri noſtrates medici pavent, naufragiſq; ęgrotantibus commiſerantur, frigidęq; amphoram ęſtuanti febrientium labio exhibentes, quaſi pocula Circęa offerant, ex quibus non belluinos mores, ſed lethiferum omne virus, mortemq; inexorabilem bibant, increpando vituperant.

Vnde, obſecro, tanta in rebus medicis aquę abominatio? vnde contra frigidæ vſum tot calumniæ? forſan ne ſaluberrimi huius elementi canina rabies pavorem indidit? dummodò hinc

pendeat ratio, voſmetipſos colligite, probèq; intra vos meditamini, quam abſurdum in febribus præſertim curandis frigidam reſpuere ſit, tunc inſtar philoſophi illius Aetiani apud Clariſſimum Meniotium in aquam animoſè immerſi vnà ſimul cum hæreſi malum exveretis.

Feliciſſimi huius medendi ordinis ſolertes hoſtes, plerumq; fęmellas, ſeneſq; falſò admonent, ne acti temporis laudatas remediorum ſylvas relinquant, quibus malorum syndromes ſtrenuiſſime pellebatur; Calidum naturę ſemper amicum, frigusq; perpetuò infenſum, humidum putredini, vnde plerumque febres erūpunt, favorem tribuere ex philoſophantium placitis ſuadere conantur, ſolius aquæ beneficio exclamantes cunctos perſanari morbos, meræ nugæ ſunt, meræ nugæ, hoc Agyrtarum aliqui larvas inter ludentes inſomniaverunt.

Non vnicam, inquiunt, ſevera Catonis fronte, malorum ſeries cauſam agnoſcit, non eamdem temperaturam ægri omnes obtinuere, non ſinguli ſub eodem cælo languent, non conſuetudinem, non ætatem, non anni tempora cuncti æqualiter metiuntur; Acriuſque hæc ſuperaddunt; Sollicita Dei cura, quot herbas, quot ſalutares plantas humo excitavit, ijſq; adverſus morbos proprias vires exhibuit, vt harum

ope

ope optata mortalibus ſalus exſurgat? Taceamus Panaceam, taceamus Cretenſem Dictamum, taceamus Felicia gramina, quæ vel novit Chyron, vel eduxit Epidaurus, vel miſere Arabes; E patenti magnæ matris gremio providum Numen elicuit herbarum omne genus, quo perniciosa quælibet cohibeatur lues, potentibuſq; victa succis ſuccumbat; Lieni herbis ſuccurrimus, herbis capiti auxiliãur, præſidia paramus Cordi, Ventrem roboramus, crebriores anhelitus tollimus, cluſoq; ſãguini citatiores curſus inſtituimus, graveq; nocentium ſuccorum onus eijcimus; Oh beneficentiſſimi Numinis indulgentia, quæ Medicinam (præſidem ſcilicet ſanitatis artem) in herbis, et plantis mortalibus exhibuiſti, ſolius modò frigidæ potationibus tot remediorum vires, ac poteſtates ſuccumbere permittes? et aquaticorum medentium adverſus ſectam, non optima artis lege, ſed improba innovandi ambitione fontanas aquas Niliacis etiam vndis temere præferentium non indignaberis?

Hoc dicẽdi genere tanquàm diſertiſſimi Rhetores non veritatis amatores probæ huic curandi methodo illudunt, eiq; prorſùs in re medica locum denegare contendunt. Nobis ſanè eloquii veneribus nihil præſtantius ſatis tribui, omnemq; lapidem devoluiſſe videbitur, ſi ratio-

num momentis evicerimus, aquæ frigidæ morem febrientibus exhibendæ non exortum nuper, ſed apud veteris medicinæ parentes celebratum invaluiſſe, nec leviſſimam hanc provinciam ſuſcepturis, viribus tamèn noſtris enervibus, fractiſq; imparem, nobis aptari nobile adagium illud amabimus *ſcribendi* ſcilicet *ad aquam*, quod à Demoſthenis immenſa, & incomparabili ad dicendum cura proſilijſſe Rhodiginus aſſervit, non parum equidem gloriæ aſſequutos eſſe læ-tabimur, ſi nobis nimium audentibus non imputetur quod de Æſchilo mordaciter retulit Calliſthenes, quem vbi vino ſatis incaluiſſet, ac ſe largius bibendo excitaſſet, tragædias eo calore concinnare ſolitum, ſcribit.

Sed antequam ſermonis noſtri deſumamus exordia, illud vobis ſciendum volumus, non tanquam Mileſius Thales aquam rerum omnium nos principium eſſe decernentes, quod ab Heſiodo prodiiſſe aliqui exiſtimarunt, vnicam aquam largè, beateq; profuſam, medicinam in febrium curationibus propinari dicentes, id tantum oneris, laboriſq; ſuſcipimus, ut innoteſcat inter præſidia, quibus febri mederi ars frequentiſſimè edocuit, hanc vetus, hanc efficax, hanc iucundum extitiſſe remedium, & quemadmodum Ægyptiis moris erat, qui dum Hydria ad tem-

templum caſta religione deferebatur, in terram procumbentes, manibus ad cælum ſublatis diuinę bonitati gratias agebant, nos etiam Deo optimo maximo tanti erga nos collati beneficii memores, qui dum ſiti flagrantibus febrili incendio viſcera iam exurente, præſertim

„ Dum Procyon furit,
„ & Stella Veſani leonis
„ Sole dies referente ſiccos.

Nobis inter aquarum delicias morti nectere moras, vitaleſque auras ſuaviſſimè elargiri voluit, laudis monumenta ſacremus.

Vt igitur clarioris incedamus doctrinæ ordine, prius quid veteres febris nomine enunciaverint inquirendum. Et quemadmodum initio polliciti fuimus, ab antiquioribus illius definitionem eliciemus. Iure itaq; à ſummo medicinę parente edoceri lubeat, qui nunquam febris eſſentiam aptiùs, concinniùſq; aperire voluit, niſi dum Ignis nomine ipſam comprehendit inquiens: *Harmocrates, qui ad murum nouum habitabat igni correptus eſt*, paulòq: inferius: **Qui in Dealcijs decumbebat horto, diù capitis conflictabatur grauitate, dexterumq; tempus dolebat, ex occaſione igne detentus fuit*; Et ſanè quemadmodum aliis græcis, Hippocrati etiam πῦρ *Pyr* ignis fuit, vnde

3. de morbo uulg.

vnde apud latinos πυρὰ *Pyra* lignorum ſtrues cremandorum olim corporum gratia promanavit; Et equidem apud Choorum maximum, non raró vehementiſſimam febrem ſignificat; De Syleno etenim ſcripſit, qui in Platamonis ędibus propè filios Eualcidis habitabat*, *Ex laxitudinibus, potuq; intempeſtiuis* πῦρ ἔλαβεν *Pyr Elaben*, ſcilicet ignis corripuit, & rurſus ægroto quarto; *Vxorem Philini in Thaſo, quæ filiam pepererat, purgatamque ex præſcripto naturæ decimoquarto à partu die* μετὰ τόκον πῦρ ἔλαβε *Meta tocon Pyr Elabe*; Ignis nempe eam poſt partum inuaſit; Sed quid amplius? febres omnes ab Hippocrate Ignis vocabulo nuncupantur, nam ex bile ſincera ortas πυρετοὺς ἀκριτοχόλους *Pyretus acritocholus* appellavit, febres implacidas πυρετοὺς ἀσώδεας *Piretus Aſodeas*; febres in quibus caligant ęgri, caligineſq; circa oculos obuerſantes inſpiciunt in Prorrheticis, & Coaceis πυρετοὺς ἀχλυώδεας *Pyretus Achliodeas* lentas, & viſcoſas πυρετοὺς γλισχροὺς *Pyretus Glischrus*, febrem perrubram, quæ ad vultus colorem ſpectat πυρετὸν ἐξέρυθρον *Pyreton Exerythron*; Non ne febris tepida, moderata, ac mitis, quæq; acutæ opponitur, quæque lethargo, κώματι *Comati*, aut καταφορᾷ *Cathaphora* laborātibusſocia dicitur ignis nomine exprimitur πυρετὸς *Pyretos* nempè χλιαρός *Chlia-*

---

* lib. 1. Ep. d.

Chliaros; Immo non ſolummodò febribus Ignis nomenclaturam Hippocrates elargitur, verum corpora etiam in febres maximè prona.* Ex verſione ſiquidē Clariſſimi Foeſij legimus πυρετῶδες σῶμα *Pyretodes Soma*, quod eſt corpus febriculoſū; Addamus inſuper, Vlceribus quoque inflammatis Ignis nomen impertitur, cum prę nimia conſtrictione in deligando accenduntur, ſcripſitque πυρετῶδες ἕλκος *Pyretodes Helcos*, Vlcus ſcilicet, igneum. Sed cum ex plurimis ſummi dictatoris oraculis euincere quisquis poſſit ignis appellatione febris eſſentiam apprimè demonſtratā exiſtere, huius tamèn doctrinę claritas ſole ipſo nitidior refulget, ſi hiſce loquutus Hippocrates audiatur*; *Conuulſa, & rigentia ſuperveniens febris diſſolvit*; eodēque in opere ſubdit, ** *Convulſionis remedium acuta febris*, quo loci à ſummo artis noſtrę Magiſtro expreſſa fuit *acuta febris*, nam ſi debilis, ac diuturna inuaderet, nihil ſane prodeſſet, quemadmodum diſertiſſimus medicorum eveniſſe***tradit Numenis filio, de quo ibidèm inquit divinus Senex; *Superſubitaneæ Apoplexiæ ſuperfebrienti diutine pernicioſæ*; Nam in ſingulis nervoſi generis præter naturam affectionibus, cum ob pituitoſos, frigidoſque fiant humores *febris acuta* invadens non modici eſt iuvamen-

2. prorr. pag. 97. 2. Coac. prę n. c. 14. te. 8. tes 12.

uamenti, Numenij autem filio (veluti Galenus cordatè ratiocinatur) quoniam ab exorta Apoplexia febris non acuta, verum enervis, ac diuturna ſubſequuta eſt, nihil profuit, vnde quis non arguit febres validas accedentes, & ſuperfluam exiccare humiditatem, frigiditatemq; calefacere, quod proprium dumtaxat ignis eſt attributum, cuius nomine Hippocrates febres omnes ſapientiſſimè patefecit. Nonne legimus apud eumdem; * *febres propterea fiunt, cum corpore ſuperinflammato carnes intumuerint, & pituita, & bilis inflammata quieverint, vt neq; refrigeretur quicquam, neq; exeat, neq; moveatur, neq; aliquid ſubeat*; Non ne? *febris ardens eſt cum* ** *reſiccatæ venulæ hora æſtiva acres, ac bilioſos ſeroſos humores in ſe ipſas attraxerint*; Et quid obſecro pituitam inflammare frigidam, & humidam, venas reſiccare poterit præter ignem? nil mirum igitur, ſi febrem à fervore inter plurimos voluerit Iſidorus***quod ſit abundãtia caloris, & Ioannes Gerardus Voſſius ſcripſerit; *A ferveo, ſeu ferbeo febris eſt, & Orientales linguæ ab incendio deducta voce febrem nominare conſueuerunt*.

Hinc iure optimo maximi medicorum interpres maximus febrem calidam, ſiccamque paſſionem eſſe prçceperat ſcribens.****Febris, qua febris

1. prorr. comm 2. tex. 50. lib. de loc in hom. 4. de rat. uict. in acut.

febris humectantia, & refrigerantia deſiderat; Pauloq; infra ſubiunxit; *Si ſola adſit febris, ad refrigerandum, & humectandum omne medici conſilium dirigitur;* & penès ipſum, *Corpora calida, & ſicca, vt ignis, quatenus calida calefacere, quatenus ſicca exiccare,* *ex quibus ſubſũit Clariſſimus Hofmãnus; **At qui omniũ febriũ cauſæ, ipſomet adſtruente Galeno, calidę exiſtunt, & ſiccæ, febres inde inter calidas, ſiccaſque intemperaturas recenſendas eſſe quis ambigit? ſiquidem innatum calidum habet ſymbolum ad ignem, facilè igneum evadit, ſiq; verum hoc ſit, non calidius dumtaxat, ſed ſiccius etiam in febribus fieri minimè dubitandum aſſerimus; Perbellè itaq; Vates febrem vocavit aridam, eo quod, vt Servius adnotat, arida efficiat corpora, ariditas enim per ſe ſiccitatem adducit, quæ ſanè doctrina duobus locis Galenum ſibi arridentem inveniſſe gloriatur, poſt quam igitur ſcripſit. *** *Febrem lege contrariorum velle frigida, & humida*, ſubiunxit *eſſe calidam, & ſiccam, talis namq; natura eſt ignis*; indeq; protulit. **** *Ignem calidum, & ſiccum non minus quam febris exiſtere*; quò etiam princeps Peripateticorum traduci poteſt; *****

lib. 4. cap. 6. 9. meth. med. cap. 14. 1. de temp. cap 2. In Apol pro Gal. lib. 3. par. 2. sect. 11. cap. 256. 1. acutor. tex. 18. text. 43.

Quibus additur Auicennæ calculus. * *Caliditas maior, quam debet, reddit corpus ſiccius, quam oportet*; At in febribus calorem naturæ leges excedentem quis non fatetur?

Victus humidus febricitantibus omnibus pręſcribitur ab Hippocrate ** ibiq; non ſolùm in curandis febribus non excluditur humectandi indicatio, verùm primo loco reponitur, ita pariter à Galeno *** ſapienter exigitur victus ratio frigida, & humida; quin ab eodem prolatum legimus. **** *Febris calida, & ſicca paſſio eſt*; Nil mirum ſi febre detentos plerumq; hiulca ſitis excruciet, ac inter illius ſymptomata non immeritò reponatur; hinc veluti in Thyeſte Seneca.

„ *flagrat incenſum ſiti*
„ *Cor, & peruſtis flamma viſceribus micat.*

Sitim verò frigidi, & humidi cupiditatem eſſe quem latet? hæc ferè nulla, vel leviſſima dum os ventriculi humore dulci, frigidoq; perfunditur; Inextinguibilis autem, ac inſæviens cum ipſum humore prorſus exhauſtum areſcit; & ſi cū Lucano loquamur.

„ *Torrentur viſcera flamma*

„ *Oraq;*

---

1. de gen. & cor. tex. 16. & 23. Fen. 1. doct. 3 c. 1. 1. aphor. 16. 8. meth. med. c. 9. 1. apho.

„*Oraq; ſicca rigent ſquammoſis*
aſpera linguis.

Vnicuiq; igitur febri neceſſariò ſiccitatem iniungi inter plurimos nuper relatus Hofmannus, Altimarus, Augenius, Zacutus ſubſcribere non erubeſcunt.

Ratione denique, ac experimento doctiſſimus Galenus protulit; * *Febrem eſſe converſionem nativæ caliditatis ad igneam*; quam breviſſimam, numeriſque omnibus abſolutam definitionem, tamquam optimam, & ab ipſo auctore ſæpius repetitam, literiſque mandatam, unde febris natura magis, magiſque conſtaret, oculatiſſimè exarare, fuſiſque laudibus proſequi præ cæteris placuit Clariſſimo Rudio, qui primò illius terminos adaperiens, mox quomodo cum re definita convertatur edocens, inde illius quidditatem, (ſcholaſticis utamur verbis) & ſingulas cauſas oſtendens, tandem quo pacto ex ea ritè probèque percepta, omnes circa febris eſſentiam emergentes difficultates (quod optimæ definitionis munus cenſetur) è medio tollantur, enuncians, ſibi gloriȩ, & medicinam facturis plurimum utilitatis comparavit.

At nunquàm adverſus quæ huc uſque retu-

Comment. 16. in. 1. aphor. in 1. Hipp. de rat. u. ct. in acut. tex. 18.

limus vix Tyronibus audienda ab aliquibus ratiocinia efferantur, febres nempe λειπυρίας *Lipyrias*, atque ἐπιάλας *Epialas* perpetuò corporis frigore ægrotantes occupare, à quibus ignis calor, & ſiccitas integrè excluditur, nec non febris nomen à fervore ſeiungentes, quemadmodum latinè veteres ab horrore potiùs ipſam appellari Querquerã arbitrentur, græcis κρυερός *Cryeros*, ſcilicet horridus, proindeq; Apuleium ſcripſiſſe; *Ob nominum ſimilitudinem qui minus poſſit ex eodem littore Calculus ad veſſicam, Cancer ad vlcera, Alga ad Querqueram*; Alga namque herba in maris vndis enata ab algore aquę ſic dicta Querqueræ aſſimilatur, verùm blandimenta hæc caſſa ſunt, & inanium fomenta votorum, ſi cum Arnobio * loquamur, & vix in eis toleranda, qui nebulas Helicone vendunt; Illud ſanè, illud nos ſemper admirari coegit apud doctiſſimum Fernelium ** tanti opinionem hanc extitiſſe, ut aſſerere non timuerit in acceſſionum initijs corpora febre non detineri, eo quod tunc temporis algeant, nec ſimul æſtuent partes omnes, quemadmodum in febricitantibus opus eſſe firmiſſimè autumavit; Sed ſatis à littore diſceſſimus, ſedulò nobis colligenda vela, & ſi quemadmodum principio orationis noſtræ à ſemi-

tibus

* aduer. gent. ** 4. pathol. cap. 1.

tibus antiquorum medicinæ principum non elongari promiſimus, inviolabilem huc vſq; tenuimus fidem, ita etiam eadem intus limina, quò tandem finem tetigerimus, iure iurando immorari ſpondemus.

Clarioris ergo ſermonis gratia, dum *febrem converſionem eſſe nativæ caliditatis ad igneam* libentiſſimè admittimus, ne lato quidem ungue à vetuſtiorum placitis recedere videamur, ut facilius, nitidiuſq; exploretur, quam pronus nativus calor ad igneam ſuſcipiendam naturam exiſtat, quid & ipſe ſit, eiuſque nomine quid audiendum voluerint, nam innati calidi iam eſſentia comperta, unuſquiſque ſibi ocyſſimè ſuadebit, quomodo præter naturæ leges evadat, actioneſque quarum antea optimus, & laudabilis auctor aderat labefactet, atque ſubvertat; Sed quamuis multa artis noſtræ ſcriptores de nativa caliditate litteris commiſerint, adeo ſubobſcura, & perplexa ſunt, quæ dixere, vt inter tot ambages Delio plerumq; natatore indiguerint, vnde luculenter, & fuſè integra volumina tradidere, in quibus, quod Seneca damnabat, non multum, ſed multa legere ſit neceſſe.

Auguſtiſſimè de calido innato, quemadmodum decæteris eorum placitis ſenſere Stoici, non ſua rebus accomodantes decreta, ſed res ad de-

creta ſua, cum quibus conſentire eas natura non ſinit, detorquentes, ſi græcorum Sapientiſſimo credimus; Sunt itaque opinati ipſum eſſe animam, eo quòd ab innato calore actiones corporis noſtri prodire advertiſſent; Stoicis adhæſit Romani parens eloquij dum ſcripſit * *Omne quod vivit, ſive anima, ſive terra editum, id vivit propter incluſum in eo calorem*, quare cum calor à Sole ſyderum principe tamquam à perenni fonte, propriaque origine per vniverſum orbem hunc effundatur, ſi is anima eſſet, egregie, ac veriſſimè ceciniſſet Vates,

„ ... *animarum omnia plena*.

hiſce arridens Macrobius Solem omnium, quæ in mundo reperiuntur vitam appellavit, Solis etenim abſque igneo vapore, inquit Lactantius, neve naſci quicquam, neve poteſt augeri, veluti Plutarchus apud Delphos oſtendit; ad hanc Stoicorum ſententiam traducendum etiam Hippocratem**aliqui crediderunt, dum inquit, *Animam hominis uſque ad interitum produci*, nativum enim calidum eſt, quod alimentis continuò augetur, & ad mortem uſque ſervatur, & quemadmodum ignis non totus ſimul extinguitur, ſic vita noſtra non repentè in cineres relaitur

„ *Mors*

1. de nat. Deor. lib. de die. tex.

„ *Mors non una venit, ſed quæ*
rapit vltima mors eſt.

& Manilius ſcripſit *

„ *Naſcentes morimur, finiſque ab*
origine pendet.

Cæterùm hæc Stoicorum doctrina, paucos, nulloſue ſatius aſſertores obmeruit, cum anima hominis altioris ordinis, ac celſioris generis exiſtat, & delapſa cœlo concretioniſque cuiuſcunque expers, ac proindè ab interitu immunis, & libera humanum corpus informet, & regat; Novit id etiam Cicero, qui illam in ſomnio Scipionis inſuper veluti in arce quadam à Diis conſtitutam credidit, & ſi hoc loci aliquid ex ſacrorum Doctorum penu eliciendum eſt, licet nobis eamdem cum Tertulliano particulam divinitatis, & ex Dei Spiritu Spiritum aſſerere corporiſque aurigam, & ducem, & ſanè animam à nativa caliditate ſecerni luculenter Peripateticorum princeps oſtendit; **Illud tamen fateri lubet, huiuſcemodi calido veluti inſtrumento quodam animam vti, eiuſque beneficio operationes adeo vitæ expedire, vt mirum nulli videatur, ſi idem Philoſophus vitam, & mortem per caliditatem hanc aliquando definiverit, cum tamen vita nihil ſit aliud, quam nexus,

ib. 4. 2. de anim. tex. 50. lib. de reſp. cap. 10.

xus, & coniunctio animæ cum corpore, mors verò diſſolutio vtriuſque, quò reſpiciens Vates optimus Irim à Iunone demiſſam fabulatur ad obitus difficiles Didonis finiendos.

„ *Quæ luctantem animam, nexoſque reſolveret artus.*

Hinc igitur anima tandiù terreſtre, caducumque corpus inhabitat, quandiù proportionatam hanc caliditatem tamquam vinculum obtinet; & quamuis Divinus ſenex in nuper laudato de diæta dixerint; *Animam hominis vſque ad interitum produci*, illius nomine non verè animam ipſam, quæ neve augeri, nec decreſcere vnquam poteſt, ſed eius inſtrumentum, calidum ſcilicet innatum intellexerit, quod non raro animę appellatione enunciare conſuevit, nam vt benigniori hoſpitio noſter ſuſcipiatur Hyppocrates, ſi de calore nativo non eſſet ibi loquutus, quo nam modo à contradictionis crimine vindicaretur, cum in eodem opere candida hæc verborum ſeries inſpiciatur? *Eorum enim omnium, à quibus alteratur anima, cauſa ad meatuum per quos ipſa permeat naturam referenda eſt, prout enim afficiuntur vaſa, in quæ ſecedit, & ad quæ allabitur, & ex quibus admiſcetur, talia faciunt, propterea ex diæta talia tranſmutare non poſſumus, naturam namque incorruptibilem immutare, & alterare impoſſi-*

poſſibile eſt, vnde apertiſſimè evincitur, non quod cenſuerit pręceptor maximus calorem natiuum animam exiſtere, ſed quod medicè loquutus, animę nomine ille deſignari etiam poſſit; quoniam primarius opifex, ac veluti (vt aliquibus arriſit) coanima functionum omnium humanarum exiſtat.

Apprimè igitur Poetę Iovis, Deorumque fabrum dixere Vulcanum, rerum videlicet omnium, quę vitam habent artificem, nam vt Lactantius, & Natalis admonent, Vulcani nomine ignem intellexere, qui Deorum faber, nempè inſtrumentum appellatur, quo Iovis arma perficiuntur, ideſt, vitę, neciſque in homines exercitium, atque poteſtas; Hinc ſapienter, & floridè in eius hymno canebat Orpheus,

„ *Vulcane, & præſtans, & fortis flamma perennis*
„ *Flammatis auris ſplendens peramabile Numen.*

Vnde ingenioſum commentum illud exoritur, Venerem ei datam fuiſſe coniugem claudo, fumoſoque fęminarum venuſtiſſimam; Si enim canit Lucretius * *O mater ſæva cupidinum*,

„ .... *Per te genus omne animantum*
„ *Concipitur, viſitque exortum*

lumina Solis,
„ *Nec ſine te quicquam dias in luminis oras*
„ *Exoritur*,
hoc provenit ex coniunctione, & maritali nexu Vulcani, ignito ſiquidem iuvante calore.

Ex Homeri itaque diſciplina, dixit Servius Honoratus, Heroes in aquis mortem perhorreſcebant, naufragioque perire grave cenſebatur, ſiquidem contrario formidabat in elemento inſita ſibi facultate privari anima, & quod Ægyptij gloriabantur, vim Vulcaniam Æthiopum Neptuni virtute reſtingui.

Sed ad Ariſtotelem redeundi tempeſtiuum eſt, cuius placita Zenonis * ſententiæ non omnino adverſantur, cum nobis ſcriptum reliquerit, generationem primam animæ altricis eſſe participationem cum calore, vitam verò, huiuſce manſionem, ac proinde aſſerente clariſſimo Gaſſendo ** nonnulli vitam definiunt, caloris, calidique innati manſionem, quod etiam Democrito, & Epicuro probatur, ſiquidem ſatis demonſtraviſſe opinantur, eaſdem eſſe caloris, & ignis, atque animæ atomos, orbiculares enim vtræque dignoſcuntur, quemadmodum colligitur ex doctiſſima illa ad Herodotum epiſtola, ac

lib. 1. lib de reſp. cap. 18. lib. 3. cap. 3. cap. 1.

ac ex alijs apud Lucretium vulgatiſſimis locis, quos adverſus ſapientiſſimos viros ſatis ſit divinum Platonem in Timæo audiviſſe docentem, non componi animam ex atomis illis, ex quibus calor, & ignis conficiuntur, ſed tandiù in corpore ſolummodò teneri, quamdiù illæ trigonæ (quam figuram tradit igni) vegetant nutritivam medullam, quæ ex illis componitur, atque ob ipſas calida eſt, hinc ergo penès etiam Philoſophantium apicem, anima non ignis eſt, ſed ignis animæ inſtrumentum, quo ſua exercet munera, ſuaſque virtutes operatur, ac præſtat.

Non arduo equidem negocio Stoicorum ſententia evertitur, cum ullum vix aſſertorem, propugnatoremque inter medicos obtinuerit, longè difficilior, ut expugnetur illa unicuique prima fronte videtur, quam ex Galeno profectam tuentur agmine facto omnes ferè medici, ac veluti pro aris, fociſque dimicaturi collato pede conſiſtunt; *Calidum* ſcilicet *innatum eſſe ſubſtantiam quamdam ex principijs noſtræ generationis, ſanguine nempe menſtruo, & ſemine ortam, & per ſingulas, ac univerſas corporis partes diffuſam.*

Statuit itaque Galenus nativum calidum conſtitui ex duobus principijs ortus noſtri, quæ iuxta

ta illius doctrinam, ſunt ſemen, menſtruuſque ſanguis, adeo, vt innata caliditas ſit corpus quoddam compoſitum ex hiſce duabus ſubſtantijs; Deinde vult naturale calidum ante fætum exiſtere, eo quod ipſius virtute corporis partes procreari, ac perfici queant, vnde neceſſe, vt hic calor principiò ſit, cum illas excitandi inſitum in ſe munus contineat, à qua Pergameni ſententia Plinius * minimè diſcrepat, dum loquens de meſtruis protulit; *Hec eſt generando homini materies, ſemine e maribus coaguli modo hoc in ſe ſe glomerante, quod deinde tempore ipſo animatur, corporaturque*; Ideoque Venuſinus in Epodis illudens Canidiæ, vocat ventrem illius partumeium, eò quia menſtruis abundet, & ſtatim à puerperio

„ *Cruore rubros obſtetrix pannos*
lavit.

Scripſit ob id Galenus huiuſmodi corpus calidum innatum nuncupari, quod ante alias partes exiſtat, & circa ipſum illæ eædem ſubcreſcant, illique adnaſcantur Oſſa, Cartilagines, Ligamenta, omneque id, ex quo corpus noſtrum completur, adeo, vt naturalis caloris appellatione eò vocari debeat, quia ſtatim ab exordijs ortus noſtri (principio ſcilicet temporis) quan-
do

* lib. 7. cap. 11.

do primùm partes noſtræ gignuntur præſtò ſit. Edocet inſuper Galenus tale corpus non ex ſola caliditate conſtare, ſed ex temperatione quatuor elementarium qualitatum, in quibus attamen calor ipſe præpolleat, vnde huius dominij robore calidum dicatur, quemadmodum in rebus hiſce inferioribus, ex mixtis vulgo, à qualitate illa quæ dominatur nomen imponi aſſolet; Hinc ipſo aſſerente Averroe, alia dicitur aqua, alius ignis, licèt in ea, quam aquam nominamus, terrei nonnihil reperiatur, & in igne plurimum aeris, terreæq; materiei nemo non videat.

Iuxta igitur Galenicæ doctrinæ leges σύμμετρον *Symmetron*, videlicet temperatum, naturale calidum eſt, & ex concurſu quatuor primarum qualitatum invicem temperatarum conflatur, quamvis in eo aliquantiſper exuberet caliditas aerea, quia ex ſemine potiſſimum conſurgat, ipſúmque maximè aereum, ac ſpumoſum exiſtat, veluti nitidiſſimè innuere Poetæ, dum fabulati ſunt ex abſciſſis Cæli, ſeu Saturni genitalibus orta ſpuma inter maritimos fluctus productam Venerem, quæ ideo Αφροδίτι *Aphroditi*, vt Heſiodus & Plato tradunt, nam Αφρος *Aphros* Græcis ſpuma eſt, meritoque Veneri ſpuma eiuſmodi principium, & origo tribuitur, ip-

ſa ſi-

ſa ſiquidem canente Lucretio *

„ *Omnibus incutiens blandum*
per pectora amorem
„ *Efficit, vt cupidè generatim*
ſæcla propagent.

Hęc de calido innato, et ſi longiori verborum ſerie, vt eius moris erat, Galenus tradidit, quæ ſanè opinio adeo poſteris arriſit, vt nullus ferè ex medicis in eam non ire auſus ſit, ac veluti Sibyllæ folio non ſubſcribere, ita verum illud Senecæ in Epiſtolis; *Plerumque homines exiſtimare, non quod dicatur, ſed à quo*; Si etenim in hoc Galeni placitum attentiùs advertiſſent, & ſeveriori trutina ad examen illud revocaſſent, multa equidem deprehenſa fuiſſent, quæ à veritate vel longiſſimè diſtant, nam ut prætereamus quo pacto ex duobus diverſis corporibus, ſemine ſcilicet, menſtruoque ſanguine poſſit talis, adeoque perfecta mixtio fieri, ut unum ſimplex corpus conſurgat, cum ſic perfectè miſceri non niſi elementa poſſint. Vt iſtud, inquam, prætereamus, fideſque Plinio habeatur, ſemen eſſe inſtar coaguli menſtrua obſtringentis, ſi Galenus arbitratur oriri animantia quædam ex materia putri, quo nam modo hæc innatum calidum poſſidebunt, cum ex ſemine potiſſimùm gene-

* lib. 1.

generetur, quo deſtituuntur pro ſui ortu animantia, quæ ex putri originem deduxere? An hæc forſan huiuſmodi caliditate carebunt? ſed quo pacto obire vitæ munia poterunt, cum illa inſtrumentum animæ ſit, illaque pro ſuis exercendis operibus indeſinenter egeat?

Vlteriùs, à Galeno exquiratur, an neceſſarium putet innatum calidum adeo per ſingulas noſtri corporis effundi particulas, ut ne minima quidem reperiatur, quæ illo perfuſa non ſit; Hoc meherculè aſſeret, cum in corpore animato minimum quodlibet vivat, vivereque minimè queat, quod innato calore non aſpergatur, oſtendat, obſecro, Galenus, quomodo id contingere poſſit abſque corporum penetratione, cum hac calida ſubſtantia membra omnia rigari neceſſe ſit? An huiuſmodi calor extrinſecè tantùm adnectitur partibus, nec intrò permeat? Partes igitur ſecundùm ſe non vivent, cum intus eo careant, ſine quo viventes eſſe non poſſunt; Addamus, quod per alimenta naturalis calidi ſubſtantia deperdita reparatur; *Illud enim* (ſi Zarotti verba referantur *) *abſumptum abit in ſubſtantiam aliti, lapſantemque reparat agente calore, qui viventibus ineſt, & cuius iſtud eſt munus, ut effluxæ partes ſolidæ quamdam*

ſui

lib. 1. cap. 1. de med. mart. tract. 1.

ſui aggenerationem rurſus accipiant, & ſpiritus prædatorij acrores redditi contemperentur, fiatque alimentatum corpus, non ita rugoſum, aut flaccidum, novis advenientibus partibus, quæ ſubſtantiam eius effluentem figant, tractabilioremque reddant ad longævitatem obtinendam; Quæ doctrina eſt conſultiſſimi Verulamij in libro de vita, & morte non concinnè minus, quam ſapienter effuſa; Si itaque per ipſum reponitur quod de ſubſtantia nativæ caliditatis admittitur, quapropter Lucretius canebat *

„ *Vnde alit, atque auget, generatim pabula præbens*

fatendum dubio procul erit in intimis corporis partibus immorari, non eiſdem iuxtaponi, alioquìn ſine cibo ſumpto, ac deglutito vivere liceret ſolo odore contentos, aut extrinſeca illius admotione, quod vix ſomniavere ea maleficiatorum ingenia, quæ omnia (ut tradit Arnobius) labefactare, ac diſſolvere ſtudio contentionis audent, quamvis illud, quod infirmare moliuntur, ſit purum, & liquidum, & veritatis obſignatione munitum.

Demùm ſi ex concretione ſeminis, ſanguiniſque menſtrui calor innatus producitur, nullique dubium ſit, ſemen efficientem vim obtinere, ſanguinem verò menſtruum paſſivam dum-

* lib. 1.

dumtaxat, quod innuit etiam Plutarchus, dum continuum illum Heracliti fluxum declarans ſtatim, inquit, à ſemine continuata generatione fit fætus, vel ut præcipit Galenus, ad fætus productionem, & activè, & paſſivè concurrere, cur hæc activa, & paſſiva corpora invicem non patiuntur, & agunt?

Quod ſi ad conficiendum innatum calidum ſemen, menſtruuſque ſanguis agunt, & patiuntur, quia materia menſtrualis ortum primum partiũ carnoſarũ exhibet, & nutritionẽ deinceps omnium, vir autem tantùm efficaciam per ſemen præſtat, qua ratione in Eccleſiaſte * legitur, *Diſſipabitur Capparis*; Quod doctiſſimus Covarruuienſis interpretatur de generandi potentia, cum genitalia marceſcunt, & vitalis vnà calor emoritur; Si ſemen, & ſanguis ſimul agunt, & patiuntur, quo pacto talia corpora in eodem ſtatu permanebunt? Neque opportunè aliquis ſibi occurrere perſuadeat, in miſtis etiam calidum, frigidum, humidum, ſiccumque incolare, quorum vnum vi tantùm agendi polleat, alia verò actionem ſuſtineant, & tamen inuicem nec pati, nec agere, nam in miſto elementa facta ſunt vnum, & convenere ſub forma miſti, à qua continentur, & amica, nec amplius

E invi-

* cap. 12.

invicem rixantia ſervantur, ſive ſuas omninò formas perdant, vt plurimi argumentantur, ſive, ut placet Averroi *, formæ eorum ſecundum medietatem intereant, nihilominus hoc ſemper euidens apud cordatos homines, & in confeſſo erit, ſemen, menſtruumque ſanguinem in conficiendo calido innato ſub vna forma non convenire, nec proprias amittere naturas, ſed in illa permiſtione manere, quod ſecùs in elementis accidit, quæ dumtaxat virtutes conſervant, & formas perdunt; Neque nobis ſatis firma Averrois ſententia videtur, & quamuis vel firmiſſima eſſet, non benè ſemini, ſanguinique menſtruo aptaretur; & quis unquam percipere valet quomodo media pars formę in illis depereat, media verò perſiſtat, aut quo pacto contingat, vt eſſe illorum medium ſit inter formas, & accidentia, ideoque formæ eorum ſubſtantiales admiſceantur, & ex earum collectione alia forma conſurgat, quod in elementis fieri docet Averroes?

Alia poſſent adverſus hanc tanti viri ſententiam obijci, ſed brevitati conſulentes, hiſce luculenter contenti, antiquorum quorundam Philoſophantium, qui calidum innatum eſſe Spiritum, Æthereamque ſubſtantiam, deſuper in cor-

pora

* lib. 3. de Cœlo comm. 67.

pora illapſam , & conditionis altioris , quam ſint elementa, quæ inſtar vinculi ipſa inter ſeſe perpetuò contrarijs viribus rixantia coercet celeri greſſu excurramus, eòque magis cum ijs acriter certandum, quòd putent ſe firmiſſimò Ariſtotelis patrocinio tueri, quem in hanc ſententiam traducere perperàm adnituntur.

In ſublunaribus itaque corporibus præter elementa portionem quandam cęleſtis ſubſtantię reperiri autumarunt, quæ maioris poteſtatis exiſtat, idque ſtrenuiſſimè præſtet, vt elementa ſimul contineantur, & quamuis inuicem adverſa ſerventur; Ad hanc doctrinam Chymicorum inventum vel facillimè referri poteſt, qui per ſublimationem ab vnoquoque miſto æthercam ſubſtantiam aliquam abſtrahi volunt, cui Quintæ eſſentiæ nomen impertiri conſueuerunt.

Huiuſmodi opinionis ad augendum robur hiſce ratiocinari audiantur; Cum animantium corpora quatuor elementares qualitates inter ſe ſe contrarias contineant, atque contrariorum perpetua lex inviolabilis ſit, ut ſimul poſita invicem agant, & patiantur, unde miſturam interire evenit, ni preſtò ſit continens aliquod ipſa coercens, nullumque elementorum hoc continens exiſtere poſſit, cum omnia eiuſdem ſint conditionis, erit igitur celſioris digni-

tatis, & naturæ, ac de ſubſtantia Cæli, quod ſublime adeo munus exercet, ut ſublunaria omnia moderetur, atque gubernet, quo etiam ratiocinio uſum fuiſſe aſſerunt Peripateticorum Magiſtrum contra Empedoclem, animam ex elementis invicem poſitis conſtare arbitrantem; Verùm ſi ab hiſce Philoſophis, quæ nam ſit hæc cæleſtis ſubſtantia quæratur, ipſam lucem eſſe reſpondent, quam longè elementarium corporum ſubſtantiam excellere volunt, eò quod cæleſte dumtaxat corpus lucem, radioſque emittat, nullumque ſplendeat elementorum, nec etiam ignis ipſe, dum in proprio loco, ac ſphæra immoratur; Lux igitur pulcherrimum Dei donum, & cuius ſolummodo gratia hoc noſtrum vivere iucundum, & optabile eſt, cæleſte illud, quod elementis ſuave frænum imponit penès illos exiſtit.

Inter hos autem non parum diſcriminis ineſt; Nonnulli ſiquidem lucem corpus exiſtimant, Nonnulli verò aliquid tantùm corporeum, voluntque eſſe formam, atque in ſubiecto recipi, quod in Animantibus nil aliud ſit præter Spiritum evincere gloriantur, quòd non ſecùs ac lux in animalibus ad omne diametrum ſe ſe effundat, ſpiritus enim ſursùm, deorsũ, antè, retrò, & ad quamlibet corporis dimenſionem fertur,

idque

idque ſanè ab elementari aliquo effici nequit, cum omnis motus elementorum ad unius loci differentiam determinetur, ac repentè a corde moveri ſpiritus, quod luci dumtaxat competit, nequaquam autem elementis.

Quin? volunt qualitates elementorum unius tantùm effectus eſſe, ſpiritus verò aptari ad plurimos, ad expellendum, nempè, ſentiendum, nutriendum, ac demùm ad alios omnes in quibus vita conſiſtit, quamobrem cum totum hoc vires elementorum excedat, neceſſarium proinde ducunt ſpiritum ratione formæ aliquid ſupra elementa extare, quod autem ſuper elementa exiſtit, Cælum eſt, oportebit igitur ſpiritum de ſubſtantia cæleſti aſſerere, idque ratione ipſius lucis, quæ ætherea, ac cæleſtis eſt, evenire.

Animadvertunt ulteriùs operationes elementorum abſque contrarietate non promoveri, ſed ſpiritus quidquid operantur, abſque pugna perficere, tum videndi officium in oculo, tum in auribus audiendi, ac tandem ad ſingulas corporis partes virtutes advehere, unde ita adſtruunt, quod alicui aliquod impertitur, diſtinctum, diverſumque à natura illius eſſe debere, cui elargitur, ac tribuit, unde cum ſpiritus virtutem membris omnibus præſtet; eſſe

ali-

aliquid natura, ſubſtantiaque ſeiunctum ab illis, quis non fatebitur? at ſubſtantia membrorum elementaris eſt, quod ipſis igitur virtutem infert, aliquid erit ſupra ipſa elēenta, ſed elēenta ſolummodò ſubſtantia cæleſtis excellit, ſpiritum igitur eiuſdem ſubſtantiæ eſſe quis denegeget? idque ex illius effectibus ſatis probare opinantur, nam veluti lux contrahitur ad lucidum, ibique ſeſe coercet, ita & ſpiritus ad cor tamquam ad propriam ſcaturiginem confluunt, ibidemque uniuntur.

Verùm talia à Philoſophis hiſce prolata argumenta non adeo urgent, ut in eorum ſententiam alios etiam invitos arripiant, nam ab ijs exploretur, obſecro, an ſubſtantia illa, quam è Cælo delapſam affirmant ſit in corporibus animalium, aut in ipſis generetur ex elementis, dum ſcilicet commiſcentur, vel ſi eſt lux, an aliquid ſit, quod penetrando animantium partes, non tamen à Cælo ipſo abſcindatur, vel aliquid ab ipſo Cælo ſeiunctum exiſtat; Si enim primum aſſerent, neceſſe erit illud generari, ac per conſequens interire, quapropter cæleſtis ſubſtantia ortui, & occaſui obnoxia dicetur; Si ſecundum concedant, adeo ut non denegent lucem animalium corpora permeare, nec tamen à Cælo dividi, ipſa etiam anima-

lium

lium corpora ipſi Cælo continuari ut fateatur oportet, quod apud ſapientes homines fatuitatem maximam redoleret, immo cum illud, quod è Cælo procedit, lux ſit, huiusmodi continuationem viſibilem quis non admittet? At ſi tertium velint, delapſam nempè ſubſtantiam illam à cæleſti corpore, ab eoque diviſam lucem eſſe, tunc huiuſmodi lux, vel corporea res eſt; quemadmodum ſenſati magis Philoſophantes credidere, quo igitur pacto ſubſtantia hæc in humano corpore adeo recipi poterit, ut per vniverſas eius particulas penetret, corpuſque à corpore pervadatur; Et ſi dicant ſubſtantiam hanc non ſpargi per omne corpus, iam in ſingulis partibus non immoratur, quemadmodum in omnibus innatum calidum incolare, ad hoc vt viuant, neceſſario debere iam luculentiſſime demonſtravimus.

Illud denique exquiramus, quo nam modo hæc ætherea ſubſtantia è Cælo ad animalia feratur; vel enim à ſe ipſa movetur, & tunc animata cenſenda erit, vel ab alio, & tunc movens aſſignari expedit, quod aut violentum erit, vnde ad abſurdum ſtatim offendunt, violentum ſcilicet ad conſtituendum animal id moveri, quod in eo præcipua, & princeps pars exiſtat; Vel erit naturale, & duos tunc cæleſtis

ſub-

ſubſtantia obtinebit motus, circularem nempè, quo perpetuò torquetur in orbem, rectumque, quo ad animantia deſcendit; Vel demùm lux erit qualitas incorporea, ſed quomodo poſſet ex ſe moveri, quod non eſt corpus? Si enim lux Cæli tractum, & aeris vſque ad nos illuminat, non provenit, quia è Cælo ſeparetur, & hùc diviſa perveniat, ſed illuminat alterando perſpicuum, facultatemſcilicet illam in aere, & aqua alterari idoneam, ad hoc vt lucida evadat, non igitur aliquid de ſubſtantia cæleſtis corporis in animantium corpora allabitur, non probè itaque argumentantur innatum calidum Cæleſtem ſpiritum, Æthereamque ſubſtantiam eſſe, ab elementis diverſam, & à Cælo ipſo in corpora deſcendentem.

Verùm huiuſmodi Philoſophorum ratiocinijs occurrere tempeſtiuum eſt; Concedatur illis igitur contrarijs aliquid illa continens ineſſe debere, sed negetur in miſto animato huiuſcemodi coercens cæleſtem ſubſtantiam exiſtere, nam forma eſt, atque in ipſis animatis Anima, quæ elementa ſimul continet, ope tamen, ac interventu caloris, cuius officium congregare homogenea; Quin? falſum aſſerunt, continens nempè perneceſſe ſuperius quid eſſe debere, & altioris ordinis, nec non à contentis alterius generis,

neris, tunc enim nullo prorſu modo continere valeret, ſiquidem quod eorum, quæ per tranſmutationem unum fiunt, continens eſt, neceſſariò pariter eſt, ut eiuſdem tranſmutationis terminus exiſtat, terminuſque tranſmutationis in eodem genere extat, quæ talia igitur continet unius, atque eiuſdem generis, ac contenta eſſe debet, unde cælesti prorſus ſubſtantiæ repugnat, ut potè diverſi generis, quod elementa coerceat; Neque aſſentiri nobis conſonum ſanè videtur, ſpiritum lucis naturam induere, ac illius inſtar ad quamlibet loci differentiam ſe ſe movere, nam cum is animæ ſit inſtrumentum, omne movendi munus proſequitur, quod ei anima imperat, unde non ſuaptè natura, ac genio ſursùm, deorſùm, antè, retrò movetur, ſed anima ipſa iubente, cum ad ceorcendos ſpiritus, ipſoſque ad emittendos inſtrumentis aliquibus utatur, arterijs (nempè) per quas veluti per canales, ac tubos à corde in quaſcumque corporis partes, prout ipſa imperaverit, ſpiritus effunduntur, nam ſi momento temporis à corde in univerſa membra excurrunt, ab eorum tenuiſſima ſubſtantia provenit, ob quam ocyſſimè animæ imperio obſequuntur, & tandem ſi varia munera obeunt, id equidem præſtant, cum ab anima dirigantur, eoque magis

cum in partibus cunctis ijdem spiritus incolent, ſed variè in ipſis alterentur, & tranſmittantur.

Nihilominus tamen hæc nativi caloris opinio tanti roboris apud doctiſſimum Fernelium extitit, ut Galeni, omniumque ferè medicorum adverſum, hoſtemque effecerit; Nobis autem ſi ex vetuſtioribus de calido innato ſententiæ alicui ſubſcribere liceat, ipſum actualem ignem, inque corde ipſo vigentem libentiſſime aſſentiremur, quemadmodum Auctor libelli de Corde, ſive Hippocrates, ſive alius quiſque ſapientiſſimus tradidit, cum ipſum oppugnari à contrarijs qualitatibus, ac extingui animadvertamus, ibìque hæc ſeries verborum perlegatur. *Alimentum autem ei abunde ſuppetit* [loquitur de calido innato] *ex proximo ſanguinis conceptaculo radios immitens*. Veſci etenim vult nativam caliditatem ſanguine, atque inſuper lucere, id namque ſibi verba illa vindicant, *radios immittens*, ſiquidem omne, quod radios ſpargit, id lucet, quid enim lux aliud præter radiorum à lumine emanantium multitudo, & quid obſecro in corpore effulgere, radioſque emittere poteſt, niſi ignis? & ſane quod in hac præcipua, regiaque parte actualis ignis inhabitet evidentiſſimè quiſpiam evicerit, ſi attri-

attributa inſeparabilia, quæ igni in mundo competunt, illi etiam, qui in corde emicat adamuſſim aptari cognoverit.

Sit igitur indiviſibile ab igne, ut cum nactus fuerit propriam materiam, & alimentum excreſcat, unde inſpicimus, ex parva plerumque ſcintilla maximum incendium erumpere, cumque idoneum pabulum eidem non amplius tribuatur, ut decreſcat; Id ſanè competit etiam flammulæ, quæ calet in corde, à primo etenim ortu hæc per ætates vſque ad conſiſtentiam augetur, hincque ad ſenectutem uſque imminuitur.

Sit ſecunda proprietas ignis noſtri, ut nequeat abſque alimento conſiſtere, ac proindè non mirum ſi à veteribus quibuſdam Philoſophis voraciſſimum animal appelletur, id etiam concinnè igni congruit, qui cordi ineſt, ut hinc penès eiuſdem Auctoris ſententiam ſanguine nutriatur, eoque ſine perſiſtere nequeat.

Sit tertium actualis ignis attributum, quod duplici modo extinguatur, ob alimenti ſcilicet defectum, vel eiuſdem ob exuberantem copiam; Gemino pariter modo ignem, cuius domicilium eſt Cor, interire contingit; Hinc Romani parens eloquij in Catone maiori aureis hiſce verbis diſſervit; *Adoleſcentes ſic mihi mori videntur, ut cum*

aquæ multitudine vis flammæ exprimitur, ſenes autem ſic, ut ſua ſponte, nullaque adhibita vi conſumptus ignis extinguitur.

Sit quarta ignis noſtri conditio, vt vi aliqua integrè extinctus, nullum relinquat, quo teſtetur ibi ſe fuiſſe, veſtigium; Pereunte homine, quid nativæ supereſt caliditatis? Verùm ſi aliquis obijciat, cur ignis, qui cordi inhærere creditur, non vrat, ob illius raritatem, tenuitatemque provenire affirmatur, quemadmodum in artificialibus etiam ignem, vel minimum, vel nihil comburere experimur.

Nobis illis ſubſcribere nequaquam placuit, qui innatum calorem, non actu ignem, ſed ſulphur (potentialem videlicet) exiſtimarunt, quorum ſententia Hippocratis obſtat oraculo ſcribentis* *Anima hominis vſque ad mortem creſcit, & decreſcit*, nam ſi animæ nomine nativam caliditatem expreſſit, quemadmodum ex ſuperius allatis iam patet, ſulphur autem per ſe, neque augumentum, neque imminutionem obtineat, nequaquam illi innati caloris atrributa competere ratio ſuadet, quotieſcumque enim ſulphur accenditur, non creſcere, ſed in aliam potius naturam confeſtim migrare, & in actualem ignem faceſſere quem latet? Ideoque Plinius iuni-

* 6. Epid. ſect. 5.

nior * Cornelium Tacitum alloquens agnoſcit ſulphuris ardentem copiam in Veſuuio ignes maximos ſupra montis illius verticem gignere, & rurſus eoſdem deſinere conſumpto pabulo, & materie, quo flamma æſtuans nutriebatur, altaque incendia latiſſimè relucebant; Ipſumque de Æthna inquit Iuſtinus** *Quippe intrinſecus ſtratum ſulphure, & bitumine traditur, quæ res facit, vt ſpiritu cum igne inter interiora luctante frequenter, & compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet, inde denique Æthnæ montis per tot ſæcula durat incendium*, ac proinde

„ *Seu mare ſulphurei ductum, per viſcera montis*
„ *Oppreſſis ignescit aquis, & pondera librat*

cecinit Claudianus, ex quibus luculenter colligitur in tempore fieri eiuſdem incendia, & rurſus deſinere, & quandoque fore omninò ceſſatura, vt apud Sulmonēſem docuit Pythagoras***

„ *Nec quæ ſulphureis ardet fornacibus Æthna*
„ *Ignea ſemper erit, neque enim fuit ignea ſemper;*

quod cum contra euenire in naturali caliditate compertum ſit, ſatis quoque, ſuperque probatur in ſulphure minimè reperiri, nam quamdiù viuit animal, illius natiuus calor radicali pabulo indiget, quo ſi fraudetur, ſolidas etiam corporis partes exedit, omneque id, quod ce-

dere

* lib. 6. epiſt. 16. ** lib 4. c. p. *** lib. 15. Metam.

dere in alimentum poteſt, aſſumit; Verùm hoc ſulphur prȩſtare nequit, cum ab actione quieſcat, ideoque innati calidi naturam induere, & quis aſſerere audeat? Ac tandem cum toties laudatus Auctor libri de Corde natiuum calorem radios ex ſe ſe fundere, & pura luminique ſimillima ſubſtantia enutriri, ac ſuſtineri ſcripſerit, cum actualis ignis dumtaxat ſit, qui radios ſpargat, & emicet, atque à prima ortus ſui ſcintillula ſenſim excreſcat in molem, iterumque decreſcat, & extinguatur, ita pariter in animantibus per ȩtates augetur, ac imminuitur, unde divinus Hippocrates protulit, *Senes pauciſſimum innati calidi habere, ac eorum proinde corpus frigidum eſſe*; Hùc animum devoluiſſe remur Virgilium vatem sapientiſſimũ, dum inquit, non circa Anchiſis tempora viſos ìgneos fuiſſe radios, cum eſſet ille iam ſenio gravis, sed

„ .... *ſummo de vertice Iuli*
„ *Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli*
„ *Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.*

quod equidèm ab Hiſtoria Servij Tullij apud Livium deſumpſit, cuius pueri dormientis caput arſiſſe ferunt multorum in conſpectu, & mox cum ſomno flammam abijſſe, quod non niſi nativi, inſitique ignis effectus agnoſci poteſt, niſi prodigium velimus inquirere, ubi plus-

quam

quam par ſit ,naturę vires ſufficiunt.

Nihilominus hanc adverſus ſententiam ſtant aliqui, & prima fronte ſpecioſis, ſi non Herculeis argumentis illam aggredi, ac expugnare contendunt, nam ſi calidum, inquiunt, natiuū eſt ignis, quo pacto febris iuxta Galeni doctrinam erit *converſio nativæ caliditatis ad igneā naturam?* An id, quod convertitur in ſe ipſum tranſmutatur, unde ſi calor innatus ignis eſt, quomodo poterit febrili incendio magis, magiſque æſtuare, igneamque adipiſci naturam? & ſi in ignem innatum calidum convertitur, neceſſarium procul dubio erit, ut ignis ipſe non ſit; Has tamen inſtantias licèt nonnulli maximi exiſtimaverint, nodumq; Gordianum duxerint, non arduum ſolvere credimus, ſi Hippocratis oraculum mox relatum animadvertatur, *Incendi ſcilicet per morbum animam*. Morbi appellatione ibidem febrem audimus, ob quā innatus calor trans naturę leges augeſcit, & converſionem ad igneam naturam acquirit, quoties vitalis hæc flamma denſiori veſcitur alimēto, & calidis retentis halitibus, rara, pura, ac syncera, quemadmodum debet, non ampliùs emicat in cordis thalamo, & ſanè experimur in fornacibus nonnullis culinarem ignem admiſſo per ſpiracula, vel excluſo aere adeo variari,

ut

ut pro libito certis augeatur, vel imminuatur gradibus; Quoties itaque innatum calidum decenti quantitate, debitoq; alimento fruitur, naturæ proſcriptum ſervat, verùm dum mole creſcit, craſſoque nimis cibo reſtituitur, aut halitibus, vaporibuſque referto, tunc non naturalis efficitur, igniſque noſtratis naturam, conditioneſque nanciſcitur, humanos nempè artus, ac membra voraci flamma depaſcit.

Hactenus de calido innato principes vetuſtiorum ſententias retulimus, eaſque pręter illam nobis ab Auctore libelli de Corde traditam, quam antiquitatis monumenta veneraturi, amplexari, ac tueri libentiſſime aſſentimur, expugnaſſe nobis ipſis iam ſuademus, non alio mentem, animumque devoluti, eorumque inter placita nimium fortaſſe commorati, niſi, vt vnicuique innoteſcat, quam facilis, pronuſque ad igneam naturam ſuſcipiendam, tum penès Galeni, tum Philoſophorum omnium doctrinam, natiuus calor exiſtat, & febris quam levi occaſione oriatur, illique rectè, probèque mederi aquæ uſu, vt quemadmodum rationi conſonum, ſaluberrimum quoque ſit.

Ne autem inter ambages aliquis perſiſtat, excogitans quid aquę nomine percipiendum ſit, men-

mentem noſtram Galeni* verba adaperiant; *Talem igitur aquam frigidam, & humidam, ac propriè aquam nuncuparis, quæ vero mixtione alicuius alterius extrinſecæ, aut ſubſtantiæ, aut qualitatis fuerint adulteratæ, quales ſunt bituminoſæ, & ſulphureæ, atque aluminoſæ tantum à propria natura aquæ recedunt quantum fuerint adulteratæ.*

Dulcis igitur aquæ potabilis, quæque abundè refrigerat, & humectat quemadmodum idem Galenus** evincit noſter eſt ſermo, tum per ſecundam, adverſamque valetudinem hominibus maximè neceſſariæ, ut obiter illud Pindari emolliamus, rerum omnium optimam aquam pronunciantis.

Eligatur itaque ſive cæleſtis, quam omnibus Hippocrates*** prætulit, leviſſimam, dulciſſimam, ac limpidiſſimam ſcribens. Siquidem Sol tenuiſſimum è terra, marique ſurſum attrahit, quod cum in nubes concreverit, denuò in aquam relabitur; Solem etenim devorare aquas, Lunam eaſdem parere antiquiores populi credidere; Cum igitur principium ſortiantur ex leviſſimis, ac tenuiſſimis aquarum partibus, quæ terræ, circumque inſunt, omnium etiam leviſſimæ, & ſplendidiſſimæ fiunt, quę ſumma aquarum laus tanti viri auctoritate, atque experimento

G cen-

lib. de Ptis. c. 2. 1. de ſimp. fac. cap. 6. & 7. lib. de aer. aq. & loc

cenſetur, quamuis non defuerint obijcientes, improbæ ſcilicet conditionis, cum celerrimè putreſcant, cæleſtes aquas exiſtere, quod non vitio, ſed earum bonitati Oribaſius * adſcripſit non eſſe peſſimam aquam nos admonens, quæ citò corrumpitur, dummodo antequam computreſcat, probarum aquarum dotes obtinuerit; Sive fluminum aquæ exhibeantur, quas non pauci ſcriptorum in potibus ſalutares exiſtimarunt; quod nempè ſummo naturæ beneficio, ſpontèque ſe ſe hominibus offerant; Fluuii etenim magna terrarum ſpatia peregrinantur, & ſinuoſis anfractibus non mediocriter aquæ attenuantur, illarumque cruditas ferè decoquitur; Sive fontanæ ſint, quas omnibus anteferendas Galeno ** arriſit, nimirum guſtui iucundas, & omnis qualitatis expertes celeriter prçcordia tranſcurrere demonſtravit; Non equidem nobis indefeſſis, & cura, & meditatione de aquarum bonitate, quæ intemeratam è putei profundis libatam veritatem ſapiant eruere opus eſt, ſufficit tantummodo in ęgrotantium potationes eligendas ſcire, & aſpectu tenues, ac pellucidas, Argenteas Vates appellat, ſynceras, inodoras, omniſque alterius ſubſtantiæ mixtione vacantes, onere ad lancem leves ſcribente Athenæo

quam-

* collect. 5. cap. 1. ** 6. de ſan. tuen.

quamquam Eraſiſtratus apud eumdem inconſideratos appellet, fallique illos tradat, qui trutina aquarum incolumitatem expendunt, quoniam ſi aqua ex Amphiarato ſaluberrima cum aqua Erethria vitioſa comparetur, nullum ponderis diſcrimen adinuenitur; Hiſce muneribus præſtans, & guſtui febricitantium indulgens aqua propinanda eſt, non gravis, non ſordida, non lutulenta, quæque utplurimum tetrum ſpiret, corporibus inſalubris, ac vitioſa.

Verùm ne felici omine iter noſtrum, quò pervenire adamamus progrediatur, maximi Legiſlatoris oraculum non levis ineſt obſtaculi; Etenim in calidarum intemperierum genere cum febres omnes habeantur, atque in ijs certè eo nomine, quo febres ſunt aquæ potus ſaluberrimus exiſtimetur, ac præſertim ſi ex bile, cui maximè contraria eſt aqua, oriantur; In acutis verò morbis, quos omnes cum febre inuadere, pendereque à bile exploratum eſt, Hippocrates nullum aquæ concedat officium, cuius freti auctoritate, quam rationibus, & experimentis concinere adverſarij conantur non inglorij exhibendæ aquę morem in febribus,tanquam futile commentum reſpuunt, dum exemplo Peripneumonię talia ſcripſit divinus ſenex* *Aqua neque tuſ-*

 ſim

3. de rat. uict. in acut 40.

ſim ſedat, neque ſputum educit, neque ſitim extinguit, ſed amareſcit, atque in eo, qui ſit bilioſus in bilem vertitur, hypocondrio præterea mala, immò peſſima, & bilioſiſſima eſt, vires maximè labefactans vbi in vacuitatem venerit; Adde, quod Lienem, Iecurque, vbi inflammata ſunt, auget; Fluctuat etiam, & innatat, tardè enim meat, quæ ſubfrigida, & incoctilis eſt, neque aluum deijcit, neque vrinas mouet, atque ex eo quoque nocua eſt, cum ſtercoris ſuaptè natura ſit expers. Quæ igitur cum proferat Magiſter optimus, & ad inſtitutum noſtrum maximè pertinere arbitremur, ſententiam hanc expendere operæ pretium cenſemus, vt obiectionum tela declinent, quibus aquæ præſtantiam compeſcendis febrium ardoribus plures ſauciare contendunt; Et primùm quod vnius Peripneumoniæ exemplo de acutis omnibus morbis eamdem ſtatuat medendi viam mirum ſanè cuilibet eſt, cum ardentes, & bilioſæ febres reliquæ, quę non ex viſceris alicuius inflammatione emergunt aquæ potu expugnentur, & quod ab eodem ſummo medicinæ parente extinguendi ſitim aquæ vis denegetur, hoc pariter animadverſiòne, hoc trutina dignum exiſtimatur, cum alio etiam in opere ſitientibus aquæ potum præſcripſerit, dummodo ſitis non ſit amaræ bilis; Trallianus * obſtupuit, ac veluti ri-

* 3. de fract. 49.

diculos, germanique ſenſus verborum Hippocratis * ignaros illos traduxit, qui aquam bilioſam accuſant; Quamobrem permulti opinantur, aqua epota bilem in aluo commorantem elui, & iucundè ſitim auferri; Si verò tenax ſtomacho adhęreat, eidem firmiùs affigi, ſitimque adaugere; Putant alij ab aqua adeò bilem dilui, ut illius amaror ſenſibilior evadat, ſicuti lingua bilioſo humore ſuffuſa plus amaricat; ſi æger aquam deguſtaverit, ac Aloe liquore aliquo ſoluta multò amarior guſtu deprehenditur, inquit Clariſſimus Meniotius.

Nobis autem ſi non vera, alijs ſaltem probabilior eorum ſententia fuit, qui aqua certatìm, largèque bibita aut bilem extingui, vel per ſudores, urinas, vomitum, aluumque exturbari, at illam parcè hauſtam bileſcere contendunt, quemadmodum paucum vinum pluribus aquæ amphoris iniectum non miſcetur, ſed in aquam tranſmutatur; quod propter quãtitatis immoderatam inæqualitatem, & proportionis expertem nulla detur ex parte vini reactio, ideoque vel breviſſimo temporis momento ab aqua ſuperetur, quemadmodum etiã fabri ferrarij aquæ aſpergine intenſiores focos accendunt. Nonnè ſimpliciter bilioſis aquam im-

* lib. 6. cap. 1.

imperat Hippocrates, unde hæc à veteribus iactatur ceu præſentaneum ardentis febris remedium? Sed ex adverſo, febribus intermittentibus, tertianis etiam, elegantiſſimo ſcribente Fernelio *, interdicitur, quòd harum materia primas vias offarciat, quas intùs ſi diutiùs commoretur, in bilem degenerat; quemadmodum aquæ ſtatariæ extra etiam corpora putreſcendo amareſcunt, herbeumque adipiſcuntur colorem; Aquas enim paluſtres, & ſtabiles à Sole aduri, ac præfervidas reddi, hiſque utentes ſiticuloſos fieri, oculatiſſimè obſervavit Hippocrates ** ita pariter ſi in præcordijs obſtructione detentis, ac inflammatis aqua digeſtu difficilis ſine exitu diù deſideat, corrumpitur, & in bilem præſertim porraceam faceſſit; Verùm quid inde? præcipuas forſan ſalubres vires adverſus febres aquæ denegantur? non mehercle; Sāguinis quoque miſſio, aut purgās medicamētū, preclara artis remedia, nō raro īdicātur, atque expetuntur à morbis, & tamen ab ijs ſe ſe abſtinere, etiamſi vnica ægrotantium ſalutis ſpes in illis eluceat, ſapientiſſimi Medici conſilium eſt; Non ſanè ſufficit ad propinanda pharmaca, ut à morbi natura flagitentur, verùm permittentia ſimul requiruntur, quæ ſi defuerint

lib. meth. curand. febr. cap. 11. lib. de aer. aqu. & loc.

rint, excidium afferunt, non levamen; non ſatis etenim eſt, à magnitudine morbi, ætate etiam florente *Phlebotomiam* poſtulari, ſi patientis virium tenuitas Phlebotomiæ aduerſetur, paribus ita rationum momentis frigidæ potio in eliminandis febribus potens medicina, & iucunda, quamuis à febrium eſſentia, vel maximè perquiratur, interdum eſt cohibenda, quãdo ſcilicet impedimentum aliquod viget, cuius crimine ſaluberrimum hoc præſidium elargiri non liceat; Hinc imprudentes plerumque Medici in ſingulis præter naturam affectionibus, & quolibet ęgrotantium genere oculum ad permittentia non deuolventes, indicantibus dumtaxat indulgent, ac proinde quod antidotum naturæ, & artis lege plurimis exhibetur, aliquibus artificis tantùm culpa in uenena degenerat; Emorimur enim ab epoto ſalutari pharmaco, emorimur ab eximiè celebrata ſanguinis miſſione, emorimur ab innocentibus aquæ frigidæ hauſtibus, vel etiam opportunè præſcriptis; A littore ſolvendum eſt ineunte pubertate, aut florida vigente iuuenta, vel firmiori virilitate, vel exangui iam ſenectute, cumque inſuperabilis vis morborum erumpit, cum Vate *

„ . . . . . . *Ceſſere Magiſtri*

Phyl-

---

* 3. Georg.

„ *Phyllirides Chiron, Amythaoniuſque Melampus.*

Multa, & præclara Hippocraticum hoc præceptum luculenter enarrans affert clariſſimus Coſtæus *, quæ nec mihi cuncta reſcribere, neve aliis perlegere iniucundum foret, ſolummodò hæc audiantur, *De ſiti ſi non aqua ſedatur, an non ſine illa, Oxymel profectò, & mulſa ſeorſum ſumpta illam augent, aqua autem ſeorſum non rarò ſedat, quod eam damnat ob amarorem hoc difficile eſt, quomodo enim cuius natura eſt bili contraria bilem gignit? Sit verò id etiam in bilioſis, non eſt tamen acutis febribus omnibus commune, neque corporibus, non enim in febre, quæ à ſanguine, aut cui pituitæ aliquid ſit coniunctum, neque in non bilioſo corpore; Quod hypocondrio malam eſſe abſolutè ait, in Iecore calidiori, ac ſicciori, immò & in ventriculo eiuſdem intemperiei, verùm non eſt, quod vires labefactari ſcribit, ubi in vacuitatem venerit, obſcuriſsimum eſt quod addit, Lienem, Iecurque ſi inflammata ſint augeri, de vera inflammatione neceſſe non eſt, cum potiùs aquæ refrigerio cohiberi inflammationem conſentaneum ſit; Fluctuationem autem, & innatationem aquæ in ventre, quam ſubdit, ſequitur frequenter aut vomitus, aut alui fluxus, uterque non rarò febrem extinguens: Tarditas verò tranſitus*

quia

* de potu in morb. lib. 1. cap. 51.

quia ſubfrigida ſit, & incoctilis, & quia aluum nõ deijciat, neque urinas moveat, optimis aquis nõ conueniunt, quæ ſcilicet dulciſſimæ, leviſsimæ, ſplendidiſsimæ ſunt, quas ijs, quibus ventres duri ſunt, & apti ut comburantur in libro de aere, aquis, & locis conducere ſtatuit; Quare neque id verum, quod aluum non deijciat, neque etiam quod urinas non moveat, cum optimæ aquæ, & quæ tenuiſsimæ, niſi frigidiores ſumantur [hic autem de ſubfrigidis agit] prompte in ventre incaleſcunt, & ubi incaluere in venoſum genus prompte diſtribuantur, unde non urinas modò, ſed etiam ſudores uberiores earum potu prodire quotidie obſervamus: Quod ſubdit, aquam ſuapte natura ſtercoris eſſe expertem, ob idque eſſe nocuam, ſuſpectum eſt, nihil enim neceſſe eſt quidquid eſt ſtercoris expers, eſſe nocuum, falſum verò aquam eſſe ſtercoris expertem, cum alui excrementa diſſolvendo, alui deiectionem quotidiano experimento promoveat, ita quidem dictat ratio. Hæc ſapienter à Coſtæo prolata, ut Hippocratici ſenſus veritas eluceſcat, digna equidẽ Medico ſunt in artis operibus exercito, atque detrito, ac præſertìm cũ eodem in loco, paulòque inferius ſubiungat; *Non de omnibus etiam acutis agit, ſed de ijs, in quibus tuſsis moleſta eſt, quorum curatio per excreationem eſſe debet, quæ & actu calida, & poteſtate caloris non expertia præſidia requirit; In his ergo aquà, quæ eſt*

poteſtate frigida, nullius eſt uſus, mala verò etiã ſi vel actu frigidior ſumatur, cum thoraci frigidũ ſit adverſũ, & eius excrementa reddat craſſiora, excretuque difficiliora, & tuſsim moveat. Ac tandẽ ſubdit, *Reliqua vitia, quæ proponit, ipſa quoque accidunt, ſi vel importune aqua ſumatur, veluti (quod ait) ſi cum pedes frigidi ſunt, ideſt in acceſsionum principio, vel ſi paulatim, & pauca bibatur, qualia non accidunt, vbi affatim, & multa ſorbetur, quod tunc irritata ob copiam facultate fiunt tum vomitus, tum alui deiectiones, aut etiam ſudores, quibus ſolvi ſolet morbus.* Hiſce igitur conditionibus aquam in acutis damnat Hippocrates, tunc ſcilicet, vt brevitati indulgeamus, frigidæ potio, veluti alia quævis Medicina in quocumque morbi genere non permittitur, etiamſi ab illius natura, & viribus urgentiſſimè expoſtuletur, quando contraindicans [ut medica utamur voce] indicato æquipollens ſtrenuè renitet, atque adverſatur, & quemadmodum Præceptor ſummus exemplo Peripneumoniæ ſapientiſſimè patefecit.

Sed uno iam ſuperato ſcopulo in alium aſperiorem incidimus, unàque fractà sagittà, ſtatim alterà nos ſauciari ſentimus, ac ſeveriori fronte hanc aduerſus doctrinam ſtare iam bellatores conſpicimus. Inſurgunt itaque maximi Hippocratis auctoritate muniti, qui refrigerantes potio-

tiones in febre ardenti exhibendas enumerans, hanc ſeriem verborum protulit; * *Vinum Thasyum vetus parte una cum vigintiquinque aquæ partibus dato*, & ſanè huiuſmodi vinorum genus, vinoſum nempè, & multam aquæ miſturam ferens, potens, & calidum, benè olens, animæ gratum, atque fragranti odore spiritus reficiens, hominemque à syncope revocandi valens apud veteres in pretio fuit **, quod non ignorabat Anus illa Merobiba apud Plautum in Curculione

„ *Flos veteris vini meis naribus obiectus eſt,*
„ *Eius amor cupidam me hùc prolicit per tenebras.*

Nomine autem veteris vini Thaſij accipiendum Maroneum vinum voluit inter alios Athenæus 1. Deipnoſoph. dum inquit, *Chij, Thaſijque vini meminit ſic Epilycus*, „ *Saccatum Chium, Thasyumque vinum*
ideſt, quod Maron expreſſit, quod à Marone Evanthis filio Maroneum dictum aliqui voluere, nempè Thracium generoſum, de quo pariter Homerus

„ *Hoc quoties biberent dulce vinum rubrum*
„ *Vno poculo impleto aquæ viginti menſuras*
„ *Immiſcuit, dulcis autem odor à cratere ſpirabat*
„ *Divinus*;

3. de morb. Gal. 14. meth. cap. 4

Eoque callida Vlyſſis fraude ebrium Cyclopem, gravique ſomno devictum ſapienter canebat; Siquidem Thaſii eodem ſcribente Athæneo duplex vinum fuit, alterum soporiferum, alterum quo fugabatur ſomnus, ac proindè Cælius Rhodiginus antiquar. lect. lib. 28. cap. 35. *Vinum autem vehemens, & (vt Plutarchi verbo vtar) Caroticum Cyclopi appoſuit Vlyſſes.* Vel quemadmodum aliqui voluere a Maronea nomen deduxit Civitate in Thracia apud Oſtia Hebri fluminis aureas voluentis arenas ob Orphei caput fabulantur Poetæ in illud proiectum, cum à Ciconum mulieribus fuiſſet diſcerptus, vnde Statius ſylu. 2.

„ *Sic ripis ego murmurantis Hebri*
„ *Non mutum caput Orpheos ſequebar.*

præſtantiſſimo vino laudata, de qua Tibullus 4. 1.

„ *Victa Maroneo fædatus lumina Baccho.*

Hinc Plinius; *Maroneum vicies tanto addito aquæ miscendum Homerus prodidit, duratque vis eadem in terra generi, vigorque indomitus.* Sed pace, veniaque celeberrimi huius viri, quænā adeo vis inſuperabilis mero cuique inerit, vt à vigīti aquæ partibus nō enervetur, & reſtinguatur? Græcorū ergo tēperantiæ non minus, quam prudentiæ lympha-ta potandi vina conſuetudo adſcribatur. Scie-

bant

bant etenim vinum luctatorem doloſum, ac mẽ-
tis expugnatorem eſſe, vnde ebrietatem cele-
berrimi ſapientum voluntariam dixere inſaniam,
multique mortalium in hanc fæditatis coloniam
tranſcribendi paſsim dederunt nomina; *Affluunt
hinc indè agminatim* inquit Rhodiginus antiqu.
lect. lib. 28. cap. 30. *Non pullati ſolùm, ac ex
trivio, ſed terrarum quoque Principes, & quos
non irruentes hoſtium numeroſi exercitus, nec vo-
lantia tela, aut è machinis vaſta mole, & ruinis
ſaxa propulſa, excuſſave contrivere; fæda vini
deſideria deiecere in imum, & veluti captos iure
belli ante triumphales currus duxere catenatos*;
Sciebant etenim corporum firmitudini obeſſe,
bonęque valetudinis iacturam ex eo infenſiſſi-
mè promanare, ac proindè à ſapientiſſimis uti-
que traditum vino, vel pauciſſimo, ac dilutiſ-
ſimo utendum; *Quid verò membra hìc refera-
mus* (ut sæpius cum Rhodigino immoremur)
*tremore ſubſultantia continuo? ſenſuum omnium re-
tuſiorem uſum, ac quodammodo præmortuum? Ad
hæc formæ adnectitur interpolatio*: Vnde notiſſi-
ma, ac præcipuè memorabilis Propertij ſen-
tentia.

„ *Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,*
„ *Vino ſæpè ſuum neſcit amica virum:*

Vox hebes, color euarians, ignea quadam vi ocu-

li

li ſcintillantes ; Anhelitus , atque animæ vita, tinnitus aurium , nariumque fremitus , diſcriminum phrenitis plena , torminoſa calculi infeſtatio , moleſta cum articulorum depravatione podagricorum pedum ignauia , æſtuans ſtomachus , & cruditatem efflans , dum in ructus ſubinde reſpirat. Quapropter viginti aquæ partes mero ſuperaddendi ea tempeſtate moris erat , ut innocentes animi mores , & inculpatum corporis temperamentum ſervarent ; Huiuſmodi itaque vino , quo in ſanorum prandijs antiquiores uti conſueverunt , quinque inſuper admiſceri aquę partes in febricitantium potationibus imperavit Hippocrates ; Parùm ergo à conſueto benevalentium ardenti febre laborantium , quinque ſcilicet dumtaxat partium diſcrimine meraciſſimi vini Thasij veteris diſtabat potus ; Aquam igitur medendo febribus adverſæ doctrinæ propugnatores damnandam inferunt.

Sed antequam paſſis vexillis ab arena proficiſcamur, certandum adhuc eſt ; Libentiſſimè fatemur, & votis omnibus annuimus quinque aquæ partibus parum (ſatius dicamus nihil) Maronei vini robur edomari poſſe , verùm eidem poſtquam viginti iam aquæ partes admiſtæ fuerint , quinquenas iterum ſuperaddere ſummum eſt, ſtatim *Oligophori* ſapit naturam ,

pau-

pauciferi nempè (ſi latinè permittitur) quod colore, ac ſubſtantia (edocente Galeno) aquę ſimilitudinem præfert. Inſuper nonne idem artis Præceptor, eodemque in opere ſeriem potationum in Cauſone exhibendarum tradens ſcripſit, *Aquam cæleſtem ipſam per ſe ipſam præbe*? Quin ipſemet huiuſmodi febrientibus ſalubres potus enumerans, ſive Cuminum Æthyopicum, ſive Ovorum candidum, ſive Eruum, vel Trifolium, Cucumeris pollinem, craſſamque Hordei farinam, vel Pulegium, & Apium, aut Mala odorata dulcia, & Cydonea, ipſumque Hordeum plenum Achilleum perpetuò vnà ſimul cum aqua exhiberi iubet, & ſępe actu frigida, *ſub diò per noctem exponito, & propinato*. Semper etenim in febribus, vt febres ſunt, refrigerans, & humectans medicina repoſcitur, qua nullam aqua præſtantiorē natura peperit, verùm ſi impediens aliquod in eis perſanandis obuium occurrat, eò ſtatim medentis conſilium dirigi opus eſt, illudque potandæ aquæ admiſceri expedit, cuius ope, ac beneficio nova ſimul intentio adimpleri queat; Hanc rectam medendi viam non minus ſapientiſſimè, quam concinnè divinus ſenex præceperat, ſcribens * *Frigefactorias potiones in febribus ardentibus quando uoles, bibendas dato*

* 3. de morb.

to, ſunt autem multarum operationum, aliæ enim mictionem inducunt, aliæ alui egeſtionem, aliæ utrũque præſtant, aliæ neutrum, aliæ ſolum frigefaciunt, veluti ſi quis in vas aquæ feruentis frigidam aquam infundat, aut ipſum uas ad frigidum uentum exponat; Dabis itaque alias alijs. Animadvertatur, obſecro, aureum ſummi Medicorum monitum hiſce comprehenſum verbis, *Dabis itaq; alias alijs*; Quàm perbellè hinc edocemur febrium ratione ſemper potus refrigerantes cõpetere, ſed *alias alijs*, nempè ſi urinas promovere, ſudorem elicere, aluum exturbare velimus, potiones urinas promovendi, & ſudorem, aluumque exturbandi vi præditæ exhibeantur; Verùm quamvis urinam, vel ſudorem promovere, ſivè aluum ſubducere valeãt, perpetuò frigefactoriæ ſint; Has enim aſſiduo febrium natura flagitat, illas interdum accidentia repoſcunt; Aſt quid in rerum humanarum ſerie refrigerandi vi pollens adinvenitur, quod aquam æquare poſsit? Profectò nihil. Non mirum ergo, ſi Hippocrates *frigefactorias potiones*, ſivè diureticas, aut diaphoreticas, vel ſterchorarias ex aqua ſẽper cõficiebat, & quãvis vrinas ciere, ſudorem allicere, uentremque ſoluere per ſe aqua ipſa potis eſſet, hæc tamen munia, vt felicius expleret, aliquid valentius

addebat, vel urgente neceſſitate, vel maximo aquarum vitio; Nam ubi ſoli culpa, quemadmodum multis in regionibus, quibus ſaluberrimi fontes deſunt, ubique aut puteales aquas incolis ſorbere neceſſe eſt, fontanis, & pluvialibus longè deteriores, præſertim ſi earum ductus, aut minerales, aut limo, cænove obducti fuerint, unde putredinoſæ fieri conſueverunt, aut fluviales, eaſque potiſſimum, quæ è magnis amnibus aſſumuntur, in qvos varij generis fluxiones decurrere ſolent, veluti morboſiſſimas damnat Hippocrates*, ut potè longiſſimo tractu per diverſas terrarum partes vagantes, modò ſabulum, modò ſalem, arenam, argillam, glaream deportent, graveſque, ſordidæ, lutulentę, tetrumque etiam odorem ſpirantes, corporibus inſalubres, & vitioſæ conficiuntur; His igitur niſi magna providentia, & cautione, aut in aquarijs vaſis è duriſſimo lapide, vel duriſſima teſta, ſivè in ciſternis ſatis, ſatiſque mundis, optimè incruſtatis, probatoque cæmento litis diù aſſervatæ fuerint, ſummoperè in potu ęgrorum uti prohibet, dãnatque Magiſter Maximus; Ideoque eas modò corrigit Apio, mox Cumino, vel Pulegio, ut earum tranſitus intus corpora facilior evadat,

* liq. de aer. aqu. & loc.

roburque addatur, ne diutius quam par ſit in viſceribus retineantur; Quando autem aquæ optimæ eligi poſſunt, quarum ad Orientem Solem curſus eſt, quæque terreno puro excolantur, indeque defæcatæ permeant, leves, guuſtique ſuaves, & gratæ, quæque omni ętati, & naturæ utiliſſimæ ab Hippocrate nuncupantur, tunc ſyncerę, virgines, nulloque additamento exhiberi debent, tutiuſque, ac iucundiùs, ſi in febricitantium corporibus nihil ſit quod illarum circulum remoretur; Iure igitur optimo ſaluberrimam hanc diſtinctionem edocens ſcripſit Præceptor, *Dabis itaque alias alijs*. Alijs nempè aut Mel, aut Vuarum paſſarum retrimenta, aut Coriandrum ſorbendis aquis addere convenit, alijs verò ſolas, puraſque exhibere, idque vel meridiana luce nitidius effulget, ſi illius, eodemque in libro talia verba expendantur, *Aliæ tantùm frigefaciunt, velut ſi quis in vas aquæ ferventis frigidam aquã infundat, aut ipſum vas ad frigidum ventum exponat, neque enim dulces omnibus conducunt, neque acerbæ, neque eamdem omnes bibere poſſunt*; Et proinde noſtra hac tempeſtate nos etiam ad Principis Medicorum exempla componimur, aquas in potibus febricitantium adhibentes, interdum Limonum, aut Luſitanorum auran-

tio-

tiorum corticibus, modò Saccaro, Pomorumque dulcium, vel Herbarum acidis concinnamus, quas non poteſtate tantùm, ſed actu frigidas propinare didicimus ex eiuſdem oraculo, *Omnia verò per noctem ſub diò expoſita dabis febrienti, exceptis ijs, quibus alui plusquam conuenit fluunt*; Ac tandem omnis dubitandi anſa fugatur, denſæque attenuantur caligines, in quibus pertinax illorum mens contra frigidæ potionis uſum in febribus adverſantium aſsiduè magis pingueſcit, ſi æqui bonique fiat hęc sũmi Legislatoris * auctoritas, *Si verò debilis fuerit* (æger videlicet) *per clyſterem ſubtus eluito, ante medicamenti verò potionem ſi quis febriat, danda eſt ipſa aqua mulſa aquoſa, altera autem die, qua febris detinet, aquam frigidam quantum bibere uolet dabis, ubi uerò remiſerit febris, ptiſſanæ ſuccum, aut millium tenue ſorbeat, & vinum album, odoratum, aquoſum inſuper bibat; Si verò febris neque noctu, neque interdiu remittat, & ad contactum ſupernas partes habeat calidas, venter autem, & pedes frigidi ſunt, & lingua aſpera, huic medicamentum ne dederis, ſed molli infuſo per clyſterem ſubluito, & ptiſsanæ ſuccum bis in die frigidum ſorbendum dato, & vinum aquoſum inſuper bibendũ, reliquo verò tempore aquã frigidiſſimã bibat.*

* 2. de morb. tex. 44.

Ex quibus quis, obſecro, non ſubſumet, aquam præſtantiſſimam medicinam in febribus meritò appellari, ipſamque frigidam, largèque potandam eſſe; Verùm non quolibet febrium tempore, non omni ægrotantium genere; Perſanabat Achillis haſta (fabulata eſt ingenioſa Poeſis) ſed diriſſimè quoque ſauciabat, necemque, & vitam afferendi æqua poteſtate gaudebat, de qua Propertius lib. 2.

„ *Myſus, & Hæmonij iuuenis, qui cuſpide vulnus*
„ *Senſerat, hac ipſa cuſpide ſenſit opem.*

Sique vinum Thasyum vetus ardentibus quoque in febribus bibendum Hippocrates aſſentitur, id tantùm aquarum penetrationis gratia præſtitit, vt ocyus ſuas exercerent vires, non vt meraciſſimo vino ægrotantibus opem ferret, nam ſi hoc aſſequi adamaſſet, non uni vini particulæ vigintiquinque addendas aquæ nobis præcipere debuiſſet, ſed ipſum purum, ſyncerum, non dilutum, non Oligophorum exhibere; Elegantiſſimè Dictatoris mentem hiſce patefecit Galenus*, *Nam dixerit fortè quiſpiam, quia tardiuſculè permeet aqua, & plurimum temporis moretur in hypocondrijs, nec deorſum concedens, nec in corpus ſe diffundens, idcircò illi Acetum miſceri tamquam in omnem partem ferendæ futurum vehicu-*

hicu-

* 1. de ſimpl. med. facult. cap. 29.

hiculum; Sic etiam ſi cum Vino bibatur Aqua, ſitim efficaciùs extingui, quam ſi ſola, vino ſcilicet ipſam ad diſtributionem promovente; Itaque refrigerationem, ſitisque ſedationem ab aqua provenire, vt quæ frigidæ naturæ ſit, & humidæ; Cæterum adminiculo eſſe, ac uelut alas illi ad omnes corporis partes permeandas addere tum vinum, tum acetum, quæ ipſa nequaquam frigida ſunt, & humida. Hinc denique compertum ducimus Hippocratem genio, & ratione aquas ſolas in potu febrientium ſemper dandas conſulviſſe, neceſſitate, ac vi interdum admiſtas, idque, nitidiſſimè eodem imperante, effulget in libro, quem de Medico inſcripſit *, *Aqua exhibenda eſt ægris potabilis, & pura*.

Sed adhuc contra obſtant duriſſimi adverſæ ſententiæ patroni, qui ab his aquæ potibus inevitabiles hydropes erumpere iureiurando teſtantur, utpotè in Hepar irruens ſanginis officinam refrigerando ſubvertat, & deſtruat; Non infrequenter horum aliquos allocuti neque in Iecore sanguinis factorem incolare, neque ipſum fabricæ huius inſtrumentum exiſtere illius ſuadere conati ſumus; Perperàm ſemper, & ſe à veteris medicinæ limitibus, vel pauliſper elongari piaculum fore teſtantur. Per tot ſecu-

tex. 3.

ſecula, clamant, ambabus ulnis ſanguinis generationem in hepate celebrari ſapientiſſimi Viri doctrinam abſque ullo diſcrimine hùcuſque amplexati fuere, mox aliqui non verum, ſed novum quid afferentes evertere audent, & Iecoris, inſitæque ipſi facultatis sanguinem conficiendi, funus, tumulumque adaperiunt, ut indagatores, & naturæ ſecretis addicti, longa arcanorum illius ſuppellectile abundare videantur. Vana capita, ſi veſtris deliramentis ſagax poſteritas præſtaret aſſenſum, in tantæ dignitatis faſtigio vetus medicina non refulgeret, verùm non ſolùm, ut olim ab Vrbe terrarum domina, ſed à toto Orbe exibilata exularet, novamque medendi ſectam libentiſſimè condereris manibus philoſophantes, ſolo Puteo medentes; Galeno * Duce incedimus, cuius dogmata hæc ſunt, *Oportere enim diximus in compoſitis corporis particulis, quibus aliqua actio commiſſa eſſet (quas ſanè, & inſtrumenta vocamus) ſcrutari per anatomas eiuſmodi particulam, cui nuſquam in corpore alia ſit ſimilis, eamque propriæ totius inſtrumenti actionis auctorem putare, alias verò partes eſſe comunes, ut & nunc in Hepate; quod ſupponitur venarum principium eſſe, & primum ſanguificationis vocant inſtrumentum, hæc enim in aliȷs*

à nobis

---

* 4. de uſu part. 12.

à nobis demonſtrata ſunt. Paulòque inferiùs ſubdit, *Si verò mente repræſentaris aſſumptum ex ventriculo Chylum alterari à carne Hepatis, & paulatim tranſmutari in illius naturam*; Negare equidèm non audemus ex huiuſmodi argumentandi genere nobis iraſcibilem vellicari; Prætereamus, quæſo, quæ recentiores contumaci ſtudio, vigilijs iugibus, labore improbo è naturæ latebris hùcuſque inviſa eduxerunt, & quemadmodum initio ſermonis noſtri polliciti fuimus, propoſitique coſtantes veterum placitis hæreamus. Si etiam ex Galeno ipſo antiquiorum ſententiæ in medium afferantur, attamen non acquieſcunt, & cla moribus, non ratione pugnantes verbis triumphare adnituntur, ut potè qui vetuſtiora neſciunt, ac recentia non ſapiunt.

Cor igitur, non Hepar, fontem, & unicam ſanguinis officinam ex antiquiſſimis Sapientum monumentis obaudiant; Apertè equidem Hippocrates, vt ab hoc medicinæ Parente deſumantur exordia, id faſſus eſt, dum protulit *, *Sanguinis certè fons eſt Cor*, & quamvis Petri Salij elegantiſsimi Commentatoris interpretatio ſit, fontem ſanguinis ab Hippocrate nuncupari, eò quod in illo plurima, atque elaborata magis copia ſanguinis colligatur; Pace tamen, ve-

* 4. de morb. tex. 40.

veniaque celeberrimi huius viri dixerimus, mentem, ſenſumque Summi Legislatoris noſtri nō attigiſſe; Deflexit enim ad Galenicam, vulgòque receptam Medicorum ſententiam, puriorem nempè ſanguinis partem ab Hepate ſubmitti, ipſamq; in corde veluti Ciſterna quadam colligi ad vitales ſpiritus generandos; Sed aliud Ciſterna, aliud Fons eſt; Illa imbrium aquas aſſervat, hic (vt nomen ipſum evincit) vivam aquam effundit, Cor profectò ciſternæ comparari dumtaxat potuit, quatenus in eius ſinibus Chylus omnis, Chymusque confluit, ſed rectiùs, concinniùſque fonti compoſuerimus; Nam quemadmodum è fonte fluvius, ita è Cordis perenni ſcaturigine ille oritur ſanguis, qui membra noſtra rigat, fęcundat, & ad vitę munera promovet; Expreſſit hoc nitidiſſimè auctor libri de Corde ſcribens, *Hi ſunt humanæ naturæ fontes, hinc flumina erumpunt, quibus corporis alveus irrigatur, atque hæc vitam homini conferunt, & ſi reſiccata fuerint, perit*. Hippocrati aſſentitur Plato in Timæo dum inquit, *Cor vero ſimul venarum, & ſanguinis ad omnia membra vehementer circumlati fontem conſtituerunt in domo benè munita*. Galenus * attamen de placitis Hippocratis, & Platonis hanc authoritatem interpretatur

* lib. 6. cap. 8.

tatur, aliud ſcilicet reſonare fontem ſanguinis *ſimpliciter*, aliud cum additione *vehementer circumlati*, ſanguiniſque ſimpliciter fontem Hepar, circumlati verò Cor exiſtere contendit; Hinc non mirum, cum huius nomine arteriarum ſanguinem Plato intellexerit; illius principium Cor meritò conſtituerit; Sed quamvis Galenus diſertiſſimus ſuæ opinionis propugnator extiterit, talique pacto declinare vim huius ſententiæ crediderit, proindeq; aſſeruerit, ſenſiſſe Platonem ſanguinis *ſimpliciter* Cor eſſe principiũ, oſtendat, obſecro, oſtendat ubi nam in ſuis operibus id Plato ſtatuerit; Et equidèm quando de Hepatis officio pertractat, tantum abeſt, ut ſanguinis ſtructuræ vel umbratilem mentionem faciat, ut nec verbum quidem unum de ipſo ſanguine proferat, neque aliquid momenti affert dictio illa *vehementer*, quę maximè à Galeno advertitur; Nam quemadmodum à Clariſſimo Cremonino in opere de Principatu Partium aſſeritur, ibi *Vehementer* idem exprimit, ac *Inceſſanter*, quaſi dixerit Philoſophorum Apex, Cor eſt principium ſanguinis ad omnia membra perpetuò, atque indeſinenter circumlati; præceptoris doctrinam genio, ac propenſione recepit diſcipulus Ariſtoteles dicens *, *Cor prin-*

* 3. de part. anim.

cipium , & fons ſanguinis , ſivè conceptaculum primum, quod expreſſiùs edocuit * , *In corde primum ſanguinem gigni, atque ideo priùs quam corpus ipſum dearticulari* : Verùm innumeræ ferè ſunt Veterum authoritates , quibus hoc ipſum ſuaderi poſſit , & tanti apud Peripateticos huiuſmodi ſententia fuit , ut adverſus Galenum, ac Medicos omnes eorum agmen perpetuò ſteterit , quamobrem Averroes , alijq; plures etsì conceſſerint rudimentum quoddam ſanguinis in Hepate elaborari , *ultimatè* tandem abſolvi, ac perfici in ipſo Corde putarunt, & proinde nondum humorem ſanguinem eſſe, alendiſque partibus idoneum credidere, donec à Corde vltimum complementum receperit, licèt alij etiam fuerint, qui putarunt , non totum ſanguinem ad Cor irruere, ſed Venalem cum Arteriali admiſceri , illumque tunc *ultimatè* (utamur ſcholaſticis verbis) elaborari , aptumque ad partiũ alimoniam reddi ; Nonnulli tandem arbitrati ſunt , ſolum ſanguinem venalem ineptum nutritioni exiſtere , adeo ut iuxta eorum placitũ verus , & legitimus ſanguis , qui nempè conſumptas partes ſervare, ac reficere valet, non niſi beneficio Cordis, à quo Arterialis emanat, perficiatur ; Nobis autem perpetuò arriſit ijs po-

* 3. de Hiſt. animal. cap. 5.

potius ſubſcribere, qui omnem ſanguinem à ſolo Corde fieri, nihilque muneris, & officij ad illius productionem ab Hepate ſuppeditari opinantur; Nec ſanè rationum momenta deficiunt, quorum viribus huiuſmodi ſententia undique muniatur; Nonnè apud doctiores homines Cor ante alias omnes partes principiò generatur, ſanguinem gignit, & continet nullo adhuc alio viſcere nato, veluti manifeſtiſsimè oculis noſtris in ovis tertia, aut quarta die ab incubatu dignoſcimus? Nonnè hinc forſan argumenta conſtruimus ex apta, atque diſpoſita materia ſine ullo alterius viſceris adminiculo, cum non adhuc viſcus aliud extet, Cor ſanguinem producere? Immo totum ſanguinem, unde aliæ noſtri corporis particulæ conſtituuntur, & qui idcircò exquiſitiſsimè perfectus, omnibuſque numeris abſolutus à ſolo Corde produci? Nil mirum igitur ſi Peripateticorum Princeps * ſcripſerit, *Omnia ſanguinea primum Cor habere*, Ea videlicet ratione, ut eius opere ſanguinem conficiant, à quo poſtmodum aliæ etiã noſtri corporis particulæ [ſi illius verbis loquamur] corporentur; Et quod alibì tradiderit, Primogenitam omnium partium ſanguineam eſſe, ut ſingulas alias ex ipſa ſanguis com-

* 2. de gen. anim. 4.

ponere poſsit. Nonnè alia ratio & potiſsima ex eo elicitur, quod in aliquibus ſanguis corrupto Hepate, & Liene generetur, verùm ob quodlibet Cordis vel leviſsimũ intemperamentum prauus ſanguis efficiatur, hincque ipſum Cor in ſanguine producendo vim dumtaxat, & poteſtatem habere exploratũ videtur? Agnovit id quoq; Comicorum Princeps Plautus, dũ in Curculione ſcripſit *

„ *Radices Cordis pereunt.*

Intellexit etenìm exiccari fontes ſanguinis, ac proindè emaciari univerſum corpus genio, & nutrimento fraudatum, & in Mercatore ſubiunxit.

„ .... *Cor miſerum meum,*
„ *Quod guttatim contabeſcit, quaſi in aquam indideris salem.*

Quapropter in Selectis Medicis clariſſimus Vanderlinden teſtatur, in cuiſdam viri cadavere Cor Pyro aſſato perſimile adinueniſſe ab eſurie multorum menſium, huiuſque cauſam vlcus cancerosum horrendum, ingens extitiſſe, quod cum totam gulam, quo Aſperę Arterię adiacet, & ſub Larynge, occupaſſet, noviſſimis vitæ diebus liquidi cuiuſcumque ne guttulam quidem deſcendere, ac penetrare permitteret; Quod au-

* Actu 2. ſcen. 1.

autem corruptis Hepate, ac Liene ſanguis nihilominus elaboretur, hiſtoriæ quamplurimæ confirmare poſſunt, præcipueque quod plerique referunt de Mathia Ortelio, qui Hepate, & Liene carebat, inteſtina verò muſculis, & carnis infarcimento præmunita illi fuerant; Nonne Cor ſedes prima innati ignis noſtri, & domeſtici eſt? Sed calidum natiuum, primumque coctorium idem exiſtere, non tantùm Hippocrates, & Ariſtoteles voluerint, ac quod ſummum videtur, ipſe quoque Galenus aſſervit *, *Non eſt aliud* (dum protulit) *quod format animal, aliud quod auget, vel ad mortem uſque nutrit, ſed hæc omnia facit calidum innatum*. Vnde non iniurià ex huiuſmodi ſententia poſſet adverſus ipſum ita ratiocinari; Si idem calidum format, formatum auget, auctum nutrit, nutriendo denique uſque ad mortem conſervat animam, qua fronte, diſertiſſime Medicorum, negabis, non coquere ſanguinem, & non coquere in Corde, vbi Focum, & Ollam habet? De Foco ex ſuperius dictis iam patet; De Olla notabile illud, quod aduerſus Galenum acerrimi vir ingenij Caſpar Hofmannus ** advertit, illud ſcilicet, inquiſiviſſe cur natura ĩ Hepate, quod ſãguinis prĩcipiũ exiſtimavit, lacũ aliquem magnũ non conſtru-

Comm. 151 pr, aphor. 2. de thor. cap. 26. 4. de uſu part. ca. 13.

ſtruxerit, quales in Corde duos; Hinc ſubſumere licet, ad ſanguinis coctionem opus eſſe Ciſterna aliqua, qua cum Hepar deſtituatur, ſanguinem vtique coquere, perficereque non poterit; Ea verò cum Cordi inſit, negare quis audeat, in ipſo ſanguinem non integrè elaborari? Quin tanti vrgens hęc ratio penès Galenum valuit, vt interſtitium quoddam concedat inter radices Venarum Portę, & Cavę, in quo ex Chylo coctiore generetur ipſemet ſanguis; Nonnè Cor Arteriarum, & Venarum principium eſt? Quod nullus negare audeat, niſi antea hoc maximi Peripateticorum enodaverit argumentum; Ibi principium eſt venæ, ubi vena ipſa nō eſt, quapropter cum in Hepate, non in Corde vena reperiatur, ſiquidem vena in cordis intimum non penetrat, at ſubſtantiam Hepatis undequaque pererrat, Cor ſanè, non Hepar principium ſtatuendum erit; Nonnè Chylus omnis ad Cor confluit? Hoc peregrinum ad illos non perveniet, quibus notum fuerit feliciſsimum celeberrimi Pecqueti inventum, quo per lacteas venas Thoracicas Chylum ſurſum ferri compertum eſt, & inde unà cum ſanguine à nutritione Capitis remeante in ſubiectum Cor irruere, hinc verò conſtrictione Cordis in Arteriam Pulmonalem [veteres venam Arterioſam di-

dixere] tum in Aortam truditur, & ad inſtar Mæandri ſanguinis circularis ille motus ſit, quem omnium prior Illuſtriſſimus Guilielmus Harveus Anglicus in toto corpore detextit; Ante enim tantum virum de motu ſanguinis orbiculari in Pulmonibus ex Ariſtotelis placito celeberrimus Cæſalpinus * hiſce diſſervit. *Idcirco Pulmo per venam arterijs ſimilem ex dextro cordis ventriculo fervidum ſanguinem hauriens, eumque per Anaſtomoſim Arteriæ Venali reddens, quæ in ſiniſtrum Cordis ventriculum tendit, & huic ſanguinis circulationi ex dextro cordis ventriculo per Pulmones in ſiniſtrum cordis optimè reſpondent ea, quæ ex diſſectione apparent, nam duo ſunt vaſa in dextrum ventriculum deſinentia, duo etiam in ſiniſtrum, duorum autem unum intromittit tantùm, alterum educit membranis eo ingenio conſtitutis; Vas igitur intromittens vena eſt magna quidem in dextro, quæ Cava appellatur, parva autem in ſiniſtro ex Pulmone introducens, cuius unica eſt tunica, ut cæterarum venarum; Vas autem educens Arteria eſt magna quidem in ſiniſtro, quæ Aorta appellatur, parva autem in dextro à Pulmone derivans, cuius ſimiliter duæ ſunt tunicæ, ut in cæteris arterijs.* Quam ſanè doctrinam in Quæſtionibus Medicis clariùs inde reſumit.

Sed

* aduerſ. gent. lib. 2. pag. 83.

Sed tamquam à promiſſis recedentes ab hoſtibus irridemur, dum ſæpiùs antiquorum auctoritatibus, ac doctrinis inniti ſolummodò velle dixerimus, nunc verò Pecqueti ductum, Charletonis funeratum Iecur, Harvei sanguineas choreas, nugas recenter natas, plicaſque futiles, tamquam veritatis ſimulacra decantemus; At nobis reſpondeant quæſo; Plato forſan, & Ariſtoteles, Auctor nè Libelli de Corde, inter iuniores habentur, qui paucis ab hinc menſibus effloruerint? Verùm ſi ad præterita ſęcula oculos, mentemque devoluent, illud Senecæ * veriſſimum intventur. *Naturam Eleuſin dixit* [*ſcilicet occultantem*] *quatenus sacra ſua non ſimul tradere, ſed reviſentibus, & poſteris diligentioribus revelare*; Ab antiquis Medicinæ Principibus bonarum artium, ac diſciplinarum ferè omnium origo tamquam à fonte quodam uberrimo ad nos promanavit, in quorum monumentis reſtituendis, aut illuſtrandis non minorem laudem, & gloriam, quam in novis conſcribendis inde plurimi compararunt; Nova equidèm multi in artis noſtræ augumentum, & decus adinvenere, quod oculatiſsimè Galenus ipſe Comm. in lib. de hum. ſect. 5. poſteritatem ſic alloquutus adverterat; *In rebus medicis non tam fortiter in-*

hæ-

* 7. qu. natur. 31.

hærere debemus veterum opinionibus, adeò vt ſtatim fidem adhibere debeamus ijs, quæ ab ijſdem dicta, vel ſcripta ſunt; At non pauci ſuaui furto vetuſtiorum ęre ſe ſe ditarunt; Nonnulli tandem exiguis, & ſubobſcuris, vt potè vix orientibus, veterum principijs incrementa præſtiterunt, & lucem; Non uno Veritas adoleſcit exortu, quemadmodum nec uno plantæ proſatu, incrementoque proficiunt; Diſciplinarum plerumque ſemina Avorum ſapientia ſparſit, Nepotes verò ſubcreſcentia germina virentes extendunt in ramos, aſſertiſque propaginibus vel ex integra induſtria, aut adſcititijs ex floribus feliciori manu feraciſſimè legunt; Sanguineæ circulationis olim molimina vetus Eraſiſtratus delibauit, innuitque ſanguinis, ac spirituum à venis in arterias, & ab arterijs in venas fieri commeatum, quem *Peremptoſin* nomine veluti ab Orco noſtris oculis vix apparentem eduxit; Verùm ævo hoc ad illius doctrinam firmandam iam patent vię, neque ſolùm in Animantium corporibus ſanguinis circularis motus refulget, ſed in ipſis quoq; plantis, cuius inventum magnum doctiſſimo Marcello Malpighio debetur, Viro equidē à Naturæ ſecretis, qui dubijs fidem, obſcuris nitorem, obſoletis gratiam, falſis, atq; nutantibus veritatem conciliavit; Nonnè Eraſiſtra-

to ſenior Hippocrates * inquit, *Principium magnum*, Cor ſcilicet, *in extremam partem pervenit, atque ex extrema parte in magnum principiũ*? Nonnè in libro de Diæta protulit (quiſquis operis illius fuerit eximius auctor, quem nos invito etiam Galeno cum doctiſſimo Antonio Ponce Sancta Cruce, alijsq; celebratiſſimis viris Hippocratem extitiſſe non ſuſpicamur) *Circuitus in corpore eſt, unde incipit, in hoc deſinit*; Paulòq; antea protulerat; *Semper autem anima ſuas ipſius partes circumambulat*. Quæ auctoritas, tum Empedoclis doctrinæ amatoribus animam in ſanguinis ſubſtantia collocantis, tum nobis arridere videtur, cum ſuperius, nec infrequenter animæ nomine innatum calidum aſſervimus ab Hippocrate deſignari; Verùm ex ijs etiam contra Nos adverſarij conſtruent ratiocinia? Iam illos acriter his arguentes habemus; Non igitur ſanguinis, ſed nativi caloris circulus ex Hippocratis oraculo animæ appellatione deducitur. O Viri magni, ecce vobis herbam proclamaret Hofmannus; Non ſolus mehercule, ſed comite ſanguine domeſticus ignis noſter ad ſingulas corporis excurrit particulas; Et anima ut ſuo principe utatur inſtrumento unà ſecum omnibus obeundis vitæ muneribus toti corpo-

ri

* lib. de alim. tex. 26.

ri preæſt, & à Corde, cuius regale ſolium exiſtere, ubique *radicaliter* [ſi ſcholaſticè loqui, & Michaelis Epheſij diſtinctioni inſervire liceat] habitare, & ſingulis membris *virtualiter* ineſſe iure meritò arbitramur.

At nonnè in Hepate quoque anima à Philoſophis, Mediciſque collocatur? Forſan non ſcripſit Galenus, *Vnde ex his collectis quæ dicta ſunt, eſt perſpicuum mire fuiſſe Iecur affectum principium vegetatricis, & naturalis animæ; Cuius oſtenſum eſt quatuor eſſe virtutes, attractricem, retentricem, alteratricem, & expultricem, quæ ſuppeditant corporibus, & nutrimentum, & augmentum; Et hac affecta, mirum in modum appetitus perit, vt mori citiùs, quam guſtare quicquam, ſuſtineant ægri*. Et ex mente Platonis * talia non protulit? *Gubernant animal (vt in libris de Hippocratis, & Platonis dogmatibus eſt monſtratũ) tres diverſi inter ſe generis facultates, toti corpori ex ſuo quodam veluti fonte quæque diſtributæ; Eas Plato animas vocat, propriam cuiuſque ſubſtantiam inveniens; Eſt enim earum quædam ad nutriendum animal neceſſaria, ac cum ſtirpibus comunis, quæ Iecur veluti pro fonte habet; Canales verò ad hoc in totum corpus ſparſos, ipſas venas; Hanc ſeu appetriticem, ſeu naturalem, ſeu altricem voces, nihil intereſt, veluti nec*

Gal. in Hipp. 3. de morb. uulg. Com. 1. ægr. 13. 9. meth. med. c. 19.

ti nec ſi animam, aut facultatem; Altera eſt, quæ non modò vt ſtirpibus, aut vita præditis, ſed etiam vt animalibus anima eſt inſita; Hæc ſedem in Corde habet, ipſo quoque inſiti caloris quodam ceu fonte; Ab hoc fonte canales arteriæ ſunt; Vocaturque hæc multis ſanè nominibus, Nam & facultas, ſiue virtus vitalis, & facultas, ſiue virtus animoſa & anima vitalis, & anima animoſa dicitur; Tertia anima, ratiocinatrix, in Cerebro domicilium habet; Ea voluntarijs actionibus vnà cũ ſenſibus præſidet; Vtitur & hæc particulis quibuſdã, ceu canalibus, nempè ipſis nervis, ſenſum, motumque per hos in totũ animal tranſmittens; Sique membrorũ principatũ illi tribuendũ volumus, quòd sãguinis officina, & regia animæ extat, ut firmius ſic arguatur; Vbi Anima ſibi regale atrium collocavit, ibi, & fons ſanguinis, aut vnde sanguinis ſcaturigo, ibi etiam Animæ domicilium, ac proinde ſi in Hepate Anima imperat, quis illi sanguinis generationem contendere non imprudenter audebit? Hiſce adhuc hoſtes adverſus nos in Hepate, & ſanguinis geneſim effici, & aulam Animę reponi pertinaci ſtudio contendunt; De loco productioni ſanguinis addicto ſatis iam diſſerviſſe cenſemus; De animę ſede, vt Cordis dignitas magis, magiſque eluceſcat, mox quoad fieri poſſit, clariora afferemus, Sique differentes aliquantulum hic immora-

morabimur, nobis officioſam humanitatem legentium veniam allaturam confidimus, dum & ad inſtitutum noſtrum non parùm ſpectantia, enarrabimus, verùm nonnullos etiam, qui nos hanc ſententiam ſecutos irrident, leniter redarguemus.

Apud Phyſiologiæ ſtudioſos Viros dubitationi locus reliquus eſt nullus, duas inter partes, unde conſtat Animal illud (ſi cum Cicerone* loquamur) Providum, Sagax, Multiplex, Acutum, Plenum rationis, & conſilij, quod vocamus Hominem, corpus ſcilicet, & animum, huncque imperantis officio, illud ſervitutis muneribus eſſe deſtinatum; Quandoquidem non fugit [audiatur Lactanctius] hominem nequam Saluſtium, qui ait, omnis noſtra vis in animo, & in corpore ſita eſt, animi imperio, corporis ſervitio magis utimur; Vnde conſequens illud emergit, nobiliorem eſſe cenſendam in corpore partem illam, quæ veluti regis animi aula, & ſedes eſt aptiſſima, & in qua præcipuas ſuæ poteſtatis functiones adminiſtret, ſublimeque dominium exerceatur; Inveſtigemus itaque utrum Cor, an aliud quodcumque ſit membrum tanto dignetur honore; Verum ſi aliqua Philoſophorum placita in medium adducemus, in ijs tan-

* 1. de Legib.

tandiù non immorabimur, ut ſingula luculenter, ac cenſoria lance expendamus, quæ Plutarchus * ſummo ſtudio, ac diligentia cumulavit, adeo ut enarremus, & quænam præponderet opinio inquiramus; animam in toto corpore ineſſe, Platonem, & Democritum tradidiſſe, Strabonem in ſuperciliorum intercapedine, Eraſiſtratum circa membranam cerebri, quam *Epicranida* vocant, Erophilum in Cavo, ſeu fundo Cerebri, Stoicos in univerſo Corde, aut Cordis spiritu, Parmenidē, & Epicurū in toto Pectore; Alios ĩ Collo Cordis, alios in mēbrana ipsũ ambiēte, alios in Diaphragmate, nonnullos verò putaſſe eò uſque ad Caput pertingere, unumque pro cunctis Pythagoram vitalē animæ partē circa Cor, rationem, mentemque circa Caput conſtituiſſe, quæ etſi ſpecioſa ſint omnia, ſuoſque fautores invenerint, nihilo tamen ſeciùs ad duo capita ità redigi commodius poſſe videntur, ut hinc inde veluti collato pede Triarij pugnent, atque ſcuta ſcutis, haſtas haſtis opponant; Fuerunt igitur alij, qui Caput, aut aliquam eius partem principem animi ſedem conſtituerunt, alij verò non famæ, nominiſque minores, qui Pectus, & in eo Cor tantæ dignitatis apice maluere decorandum, quos inter Pythagorica diſtin-

4. de placit. Philoſoph. 5.

ſtinctio media eſt, pro diverſis animæ potentijs & facultatibus, diverſas quoque eidem eſſe tribuendas ſtationes, quippè domicilium illud appellare non libet, ubi tamquam vinculis mancipatus ſpiritus noſter æthereus detinetur ad tempus, geminaſque complectitur, altera totum occupans, cum quælibet corporis portio videatur anguſta; Ad priora igitur redeuntes aſſerta, quibus calculum plures adijciunt, favorabilique ſuffragio ſtabiliunt, plurimum in ſe momenti continere illorum ſententiam priſca fide, candidèque fatemur, quę Caput animi arcem nititur aſſerere; quippè apud Ægyptios primos ſapientiæ aucupatores, & apud Græcos ipſius certè magiſtros, nec non penès Latinos, tum antiquos, tum Iuniores, infinitos ferè dignoſcimus hoc ita ſentientes, ut vel Tullianus Scipio id ipſum doctiſſime ſomniaverit, cum veluti cuſtodiā Animi corpus exiſtere audivit, in quo certè vigilias in ſublimiori ſpecula mens ipſa ſedens innovabit, excubiaſque conſtituet; Nec defuere, qui aram animalium potentiarum Caput eſſe firmaverint, principemque vim animæ continens, Heſiodi, atque Euripidis auctoritatem ſecuti; Eſt enim caput hominis Sphæroides (ſcribente Rhodigino) Cæli quadam ſimilitu-

dine

dine, in quo eſt, *to o lolampes logiſticon* ideſt hinc inde eniteſcens rationis facultas; Ideoque Homerus philoſophãtiũ Magiſter Palladẽ ex Iovis Capite, nẽpè (ut interpretatur Euſtathius) ex intelligẽtiæ fonte ſapientiã fluxiſſe fabulatur;Hìc prꝗſtò eſſet Galeni, aliorumque Medicinæ Patrum firmiùs ubique conſenſus, & tanta poſſet verborum copia oratio noſtra cumulari, ut in volumina excreſceret; Sed tamen tantorum pace, bonaque venia ſapientiæ procerum, nos illis potiſſimùm adhæremus, qui Cor regiam animæ faciunt, pro qua ſtabilienda ſententia, celeri greſſu excurrentes auctoritates graviſſimorum hominum, & ratiocinia innuemus; Et quamvis primùm advocandæ viderentur Medicinæ Principium opiniones, ut ab eo ſumerentur exordia, quod plus habet maieſtatis, & põderis, nihilominus in aliena prius Caſtra tranſibimus, ut ex aliorum penu ſupellex noſtra augeatur, nobilique furto ditemur, quod plerumque magis apud vulgus ſolet invenire fidei non domeſticum teſtimonium, & inimicorum confeſſio indubitatum genus eſt probationis.

Loquatur ergo inter Cænas Athenæus, & ex Philotimi, & Praxagorę ſcriptis afferet in Corde Animi domicilium adinveniri, quod Homeri ver-

verbis confirmabit hiſce canentis, ſi latinè reddantur
„ *Ipſi quoque Hectori animus in pectore quatiebatur?*
fatebiturque apud Sophoclem nutrix illa
„ *in animo meo, o Phædra, non ſaltat pavoris filia*, quo loco Cordis palpitationem pavoris filiam appellat, aitque ipſam non amplius ſaltare in animo, in Corde ſcilicet, vtpotè Cor Animæ ſit Regia, & apud Anaxandridem, qui perplexo pendet animo ita loquitur
„ *O Cor improbum*
„ *Solum in corpore gaudes malis*,
„ *Saltas enim protinus quam timore perculſum videris.*
Athenæo Macrobius ſuccedat, atque ex illo doctiſſimus in ſuis animaduerſionibus Rhodiginus*, qui poſtquam retulit cur per Cancri portas animę in terras demittantur, per Capricorni verò fores ad ſuperos revocentur, atque Auſtri, Boreęque naturas expreſſit, *Illud porrò animadverſione dignum* (ſubiungit) *animam, quam eſſe medium rerum ſtatuunt, iuſſu Dei, quem eſſe Mundi centrum volunt, in punctum Cordis medium, quod eſt corporis centrum, infundi primò, mox per vniverſa corporis membra propagari, quando currum ſuum naturali coniunxerit calori, per calorem ſpiri-*

M *tui*

* lect. antiqu. lib. 15. cap. 23.

tui corporis, ac per hunc humoribus inſerverit, poſtremòque membris per humores; Cęterùm ſi quis fortaſſe varijs, peregriniſque doctrinis nuſquam adduci deſtinaverit, & iuxtà Divi Hieronymi pręſcriptum ad lætam nonniſi ſacris literis fidem habeat, id ipſum teſtabitur ultimo loco non ultimus eruditione Ioannes Olearius his verbis, *Cor quod Grecis kardià dicitur, totam animam ſignificat, cuius ſedes à Scriptura * in Corde ſtatuitur, Hebræi quippe totum regimen hominis Cordi tribuunt, & omninò rationalem animam in ipſo collocare videntur, certè perindè, ac ſi ea ibi habitaret, Cordi omnem vim intelligendi ſimul, & eligendi, volendi pariter, atque agendi adſcripsere*; Hæc igitur veriſſima comperimus, & ſi fortaſſe omnia Arnobij ** verba ſumamus, *Nequeant veri eſſe conſortia, adeo tamen fortibus, & validiſſimis probationibus omnes agunt, ut reperire non poſſis quidnam tibi videatur falſum, quapropter manus dare ſi quis contraria ſentiat, palmamque tribuere deberet, niſi & vera deſtruere niterentur multi, & nihil omnium probaretur aſſenſu, nam rationibus pẽdimus, & coniectamus humanis, atque ut fieri meruiſſe quid remur, ita eſſe oportere contendimus*: Sed ab alienis caſtris, quò, ut Seneca dicebat, non veluti transfugæ, ſed tanquam exploratores pro-

* Pſal. 24. & 74. ** aduerſ. gent. lib. 2. pag. 83.

profecti fuimus, iam ad noſtra redeamus ſigna, & quantum virium egeſtas patitur, ex abditis, arcaniſq; medicinæ penetralibus veritas afferatur in lucem, firmiùſque aſſeramus Cordi inter cætera membra principatum Animæ & domicilium ineſſe, ideoque noſtra à Philoſophis oriatur oratio, quorum (ut ait Lactantius *) gravior eſt auctoritas, certiuſque iudicium, quia non rebus commentitijs, ſed inveſtigandæ veritati ſtuduiſſe creduntur; Primus igitur audiatur Ariſtoteles quaſi Platonem reprehendens, qui intelligentem Animam conſtituebat in Cerebro, ſentientem in corde, naturalem in Hepate inquirit, *Vtrum unumquodque eorum ſit anima, an pars animæ, & ſi pars, utrum ſit ſeparabilis ratione ſolùm, an etiam loco? &c.* Cum ergo extra dubitationis aleam exiſtimemus unam nobis Animam, eamque inſeparabilem eſſe, conſequens ſanè erit, eam in una dumtaxat parte, eaque pręcipua, & nobiliori viventis, nempè in Corde, ut doctiſſimè Magnus Albertus Philoſophatur, cæteras verò vividas effici per virtutes, ſeu facultates [qui antiquorum eſt loquendi modus] Animæ eò tranſmiſſas, vel quemadmodum nonnullis arriſit, licèt in toto vivente ſit Anima, in uno tamen Corde

* de falſ. relig. cap. 5.

præcipuè, ac velut in radice ſua, indè verò ad alias partes effunditur non motu, ſed modo quodam alio nobis occulto, quorum rationem intelligere nulli Deus ipſe naturæ conceſſit, ut imbecillitatem humanę ſapientiæ redargueret; Verùm etſi Clariſſimi Zabarellæ pace huic expoſitioni in phyſicis ſubſcribere indignemur, velut nec illis etiam, qui Animam naturalem, & ſentientem in toto eſſe corpore extenſam, & dividuam ſecundùm materię extenſionem aſſentimur, ex alterutra tamen ſententiarum ſemper educitur in præcipua quadam parte conſidere, quale eſt Cor in Animalibus, in reliquis verò aliquid ipſi Cordi reſpondens, quod Philoſophus his de motu animi approbat; Frigefactis cæteris partibus vita ſuperſtes adhuc remanet, Corde autem frigefacto ſtatim amittitur; Hinc igitur principium caloris, atq; Anima dependet omnibus; Et quis vel Galenicæ doctrinæ vindex contendere audeat, cum ab eodem Anima dicatur calor non aliundè aſcitus? Et à Poetis ſapienter, ac ingenioſè vigor igneus ſæpiſſimè nuncupetur?

„ ...... *Omnis, & unà*

„ *Dèlapſus calor, atque in ventos vita recedit.*

Cor igitur Animę ſedes, quòd ſedes eſt caloris, & fons. Non etenim prius viuere deſinit Animal,

mal, quam ibidem omni extincta domeſtici ignis ſcintillula rigore torpeat occupatum, à motu ſiquidem Cordis, ab Anima ipſa per ſe facto omnis alius motus, & nutritionis, & ſenſus & appetitus emanat; Quis autem feret in Philoſophiæ, vel Medicinæ ſtudioſo Viro illud in Poetis vix tolerandum commentum, tres in nobis (vt de Gerione, & Herilo cecinit Vates *) Animas contineri,

„ *Naſcenti cui tres animas Feronia mater,*

„ *Horrendum dictu dederat;*

Verùm ſi cogitationes iſtorum ſtultas, re, atque argumentis dignoſcere quiſquis amet, conſulat doctiſſimos Cæſarem Cremoninum in Apologia pro Ariſtotele, Turritanum in Artem parvam Galeni, Caſparum Hofmannum, in eorum ſiquidem ratiocinijs omni procul dubio acquieſcet; Nos equidèm eadem haud referemus, ſed tamquam firmum, certumque aſſumentes, Animam hominis vnicam eſſe ad probandum Cor ſtatui debere Regiam Animæ Epheſij ** luculentiſſimi Commentatoris verbis loquemur; *Si enim anima eſt una, rationi quoque conſentaneū eſt, ut una itidem ſit pars, quæ ipſam contineat, nam cum indiviſibilis ſit, & incorporea, quemadmodum ſuſtinet ſubſtantiam ſuam pluribus in partibus adinue-*

Æneid. lib. 8. In Comm. 3. de part. anim.

ueniri? At ſi uni particulę primatus tribuēdus eſt cuinam aptiùs, quam Cordi donabitur? Ipſum etenim, vt multa paucis involuamus (teſte Philopono *) primum fuit, ut alias partes componat, fabri inſtar eas miniſterio ſuo procurantis, atque perficientis; Quod, ut oculis etiam ſubijciatur fidelibus, quid, obſecrò, aliud cenſemus eſſe punctum illud ſanguinis saliens, quod primò in pulli fabrica micare conſpicimus, niſi Cordis rudimentum, cuius æmulatur motum, cuius calorem oſtentat? Neque enim ſolummodò ratione originis principatum ſibi Cor vindicat, ſed etiam eò quod cęteras partes calore exuperet, ideoque prius vitale munus aggrediatur, *citius* namque (edocente Ariſtotele **) *aliæ partes perficiuntur, aliæ tardiùs, prout ignem ſingulæ nactæ fuerint, & alimentum*. Si itaque primum per ſe movetur in Animali, & vivit Cor, priùs erit Anima inſignitum, ideoque fons eius; Addatur illud principium eſſe ſanguinis, abſolutè iuxtà plurimos, vel ſaltem arterialis (ſi concedatur Galeno.) Addatur eſſe Animali cuique neceſſarium, ſine quo nullum unquam natum reperitur, ipſumque dumtaxat extrà venas sanguinem continere, quamobrem Orientales ſedem Animæ in ſanguine ſtatuebant, eoque ſenſu Anima

* 3. de gen. anim. ** 2. de gen. anim. cap. 4.

ma pro ſanguine non raró ſumitur, ſic in Nebulis Comici, Cimices [quos Corinthios vocat] Animam bibunt, & qui in prælio vulneribus occumbunt, Animam dicuntur effundere, unde apud Poetam

„ *Purpuream uomit ille animam*;

Quę locutiones impropriæ, cæteroquin impiæ ſunt, vel iudice Viro Cęleſti Hippocrate illos acritèr obiurgante, qui iugulatis hominibus manantem è corpore ſanguinem conſpicati hunc Animam humanam eſſe cenſebant; Quod niſi adhuc ſufficiat, nova experimenta ſuccurrant, Cor videlicet neceſſariò calere, ac more Clibani ęſtuare propter ſpirituum redundantiam, carneamque materiem, ideòque ex illius affectione, ſeu inclinatione ad temperamentum cętera membra diſponit, inque medio Corporis collocatum, ut partibus omnibus regimen idoneum accomodet, tutiùſque cuſtodiatur, qui locus eſt Regis, vel procedentis in pace, vel in bello obeuntis diſcrimina, quare

„ ...... *Ipſa agmine Pallas*
„ *In medio*

&

„ ...... *Medio Dux agmine Turnus*;

à Marone deſcribitur; Et quis iam ibit inficias, omnium Animæ virtutum Cor eſſe, atq;

in-

inter viſcera omnia Dynaſtem, & Regem? Profectò equidèm audiendi illi non ſunt, qui partim Cor, partim verò Cerebrum, aut quid aliud in corpore dominari volunt, quippè frequens eſſet diſſidium, & à naturæ melioris inſtituto ſummoperè alienum, & diſſonum, propterea quod impatiens Conſortis eſt regnum, & pax nulla conſiſtit (Homero teſte) ubi unius imperio non obtemperant vniverſi, quare ex Phæbi Cortyna illud proſiliuiſſe credamus ſummi Peripateticorum ratiocinium ſępius repetitum in opere de Partibus Animalium *, *Vbi fieri poteſt, unum eſſe multitudini præferendum*.

Cum itaque nullus aliquam Cordi pręcipuam deneget facultatem, & ex Anatomen profitentibus nemo ipſi calorem ex alio membro prouenire aſſerat, reliquum ſanè eſt, ut Animæ regale domicilium nuncupetur, quod per ſe ad cuncta ſufficiens, alteriuſque non indigens adminiculo, in plures non dividat principatum; Verò igitur verius Alexandri Aphrodiſienſis celeberrimum dictum elucet, Cor eſſe quaſi Animal in Animali obſeptum, atq; concluſum, quod ex fabrica ipſius maiorem in modum mirabili contemplari cuique licet; Hac certè de cauſa tot in monſtris corpora fatemur exiſtere nul-

* lib. 3. cap. 4. in paraph.

nulla capitum habita ratione, quot in illis Corda reperiuntur, quamobrem non tres Canes, ſed triceps Cerberus, aut Centipes ab Homero Philoſophorum Magiſtro appellatur, Biceps Ianus, ſeu Quadrifrons, quem idcircò felicem vocat Satyricus.

„ ..... *quod nulla eum Ciconia pinſat*.

At ne iſtud ulteriùs vertatur in dubium, Auctoris Libri de Corde, ipſiuſque Hippocratis teſtimonium firmiſſimum afferemus, ſcripſit enim ille *, *Mens hominis in ſiniſtro ventriculo Cordis ſita eſt, & reliquæ animæ imperat*, Hinc in libro de Diæta ** *Animam verſari in Calidiſſimo, ac validiſſimo igne*, quem, ut elicitur ex eodem ***, in Corde repoſuit; Cuius auctoritate Latini ferè omnes unanimes in hanc iuere ſententiam; Ideoque benè cordatum Virum pro ſapiente uſurpantes, ſtultos, & inſcios Cor non habere dixerunt; Hinc Iuvenalis de inſipiente ſcribit ****

„ .....*ſed leva in parte mamillæ*
Nil ſalit Arcadico Iuveni.

& lepidiſſimè Auſonius de Rufo ***** Grãmaticorum inſipientiſſimo, qui ſemper diſſerens proferre conſueverat, *reminiſco*.

„ *Reminiſcor* [inquit] *diceret ſi Cor haberet*.

tex. 8. text. 12. lib. de carnib. text. 7. ſatyr. 7. Epigr. 47.

Quin ? adeò celebris , & vulgaris hæc ſententia fuit , ut ſi univerſa enumerare velimus.

„ *Ante diem clauſo componet vesper Olympo.*

Quare his contenti cum eleganti Georgij Buchanani * hiſtoria , poſtremam diſſertationis noſtræ clauſulam imponemus.

Monſtrum in Nortumbria natum fuit, in inferiori corporis parte unicum, nec quidquam à comuni hominum forma diſcrepans, Vmbilicum verò ſupra trunco corporis , ac reliquis membris geminis ſpecie, & forma diſcretis; Id Rex iuſſit educandum , erudiendumque in varijs artibus, & præſertim in Muſicis, in quibus ſanè mirum quantum profecerit; Quin? varias quoque didicit linguas, unde quiſpiam deduceret non unico dumtaxat Corde præditum fuiſſe monſtrum (ſi aliquid Suetonio crederetur ferente Gellio , Euhemerum Poetam, qui Oſcam, ſimul linguam cum Græca, & Latina coniunxerat tria ſe Corda habere dicebat) & equidèm animadverſione dignum ut vox diverſa ſonaret, variæque voluntates illud in affectiones raperent varias , & duo illa quamvis in unum deſinentia corpora inter ſe ſe pugnarent, ac ſecum diſcordia dſſentirent, interdùm, & invicèm litigarent, cum aliud alteri placeret, non

rarò

* lib. 13. hiſtor. mem.

rarò tamquam in comune ſibimetipſis conſu-
lerent, cum aliquid amica molirentur conſpi-
ratione; Sed unum minimè prætermittendum,
quod ſi quando Crura infernè, Lumbique of-
fenderentur, dolor utrumque corpus angebat,
ſi verò ſupernè alterutrum pungeretur, ad unum
tantùm corpus doloris ſenſus perveniebat, quod
diſcrimen in interitu maximè effulſit, nam cum
alterum corpus complures ante dies extinctum
fuiſſet, dimidio ſui computreſcente, paulatìm,
ac sensìm contabuit; Ex qua equidèm narra-
tione quis non colliget, geminum hoc extitiſſe
monſtrum, eo quod in ipſo Cor geminum fue-
rit, ut oculatè viſum fuit experientia? Iure igi-
tur Corde functiones exercente ſuas, incolumis
perdurat vita, eoque ab ijs feriante, iam defi-
cit; Hoc itaque Regiam Animæ, Fontem ſan-
guinis, Principiumque animalium illi etiam, qui
Veterum auctoritati, rationibus, atque expe-
rimentis nituntur, confirmare tenentur.

Procul dubio è limitibus inſtituti sermonis,
& pollicitæ brevitatis nimiùm diſceſſiſſe vide-
bimur; Verùm ſi genio ſuaviter animum impel-
lenti, negocioque noſtro huic pertractando vel
parùm indulgere quis velit, non equidèm ab-
ſque ſegete noſtrum agnoſcet excurſum; Ad
rem itaque revertentes, nihil ſanè adversùs do-

ctrinam exhibendæ aquæ in febribus, aut in ipſomet Hepate, aut in Corde ſãguis elaboretur momenti inferre hoſtes adhuc ratiocinantur, ſatis eſt nobis inquiunt, ut ex aquæ potibus frigefacta ſanguinis officina, eiuſque emortua inſita facultate, & nativo calore, æger in Hydropem delabatur; Nos verò ſive Iecur, ſive Cor ſanguinem efficiat, penès etiam Antiquorum opinionẽ nullum diſcrimen intercedere ad Hydropes producendos illis non aſſentimur, ſed eorum aſſertũ à veritate totis fidibus diſſonans relegamus, quamvis de hoc diſquirere noſtrum minimè iudicemus; Tantum abeſt, ut ex frigidæ potu (dummodò enarratis conditionibus eam Medici largiantur) in Hydropem quiſquis ruat, quin ſatiùs ex errore in illa ebibenda iam Hydrops factus, ab Hydrope eiuſdem aquæ auxilio ſecundùm rationem exhibitæ citò evadat, & iucundiſſimè perſanetur; Cuius Præceptoris noſtri * fides candida teneatur, *Ex his verò aqua intercus oritur, ſi quis per æſtatis tempus ex longo viæ itinere in aquam pluviam & ſtatàriam inciderit, eamque avidè copioſam biberit; Si igitur carnes aquam combibant, & in ſe contineant, nuſquam autem ſecedat, hæc contingunt; Siquidem in carne fuerit, ardorem ventri, & corpori exhibet,* pro-

* de intern. affect. tex. 30.

proindeque pingue, quod in ventre eſt, colliqueſit. Hic quoad iter fecerit, nihil mali habere videtur, cum autem ab itinere ceſſarit, Solque occiderit, confeſtim multum laborem exhibet, progreſſo verò morbo admodum extenuatur, ſique etiam cibi faſtidium contingat, multo magis extenuatur. Quod ſi cibos quidem edere poſſit, exerceri autem nequeat, magis etiam læditur, horum pleriſque laxus tumor etiam toto corpore excitatur, & extenuato quidem color lividus exiſtit, & venter magnus, ſitis vehemens detinet, eiuſque viſcera præ calore exſiccantur; Temporis verò progreſſu ad edendum quidem promptus exiſtit, & quicquid quis exhibuerit comedit, & bibit, nihilque dolet; Quod ſi tumor laxus detineat, ei color pallidus exiſtit, venæque nigræ crebræ per corpus diſtenduntur, ex re quavis iraſcitur, & triſtitia afficitur, quamvis novi nihil contingat; Venter nimio humore perhumeſcit, intumeſcit, ac pellucet velut lanterna, procedenteque tempore cibos repudiat, ſed videntur cucumeris agreſtis odorem præ ſe ferre præ faſtidio.

Ex quibus quis adeo cæcutit, ut germanam Hydropis ſpeciem non intueatur? Ad hunc integrè deſcribendum, character nec perexiguum deeſt; En pallore cadaveroſo illius univerſum corpus decoloratur, cuius omnia membra ſegneſcunt, cibos faſtidit, irrequieta, ac impla-

ca-

cabili ſiti, & ferè Tantalea diſcruciatur, ac veluti medijs ſitiens undis, aiebat elegantiſſimus Meniotius, has utpotè captationem eius fugientes ne quidem libat, ſed miſellus præcordia gerens ſcaturiginoſa, imò amplos, fæcundoſque ſiccans frigidæ calices, ſitis tormenta nihilominus experitur; Nam & reſiccatis viſceribus, vel intus eadem ſalſis, aut putridis remorantibus undis, & quid hydrope aridius? Sulmonenſis* carmen aptatur

„ *Non ei ſunt fontes, laticis niſi penè marini.*

Venter ſeroſa illuuie pretumidus iam ad molem extollitur, parteſque corporis omnes ſibimet æquabilis alimenti inopes macie abſumuntur; Huic poſtquã Hippocrates valentiora pharmaca præſcripſit, *Cneorum* scilicet *per ſextam diem, Hippophais ſuccum per octvam, Cnidium granum per decimam*, ſubdit, *& dare ipſa oportet, donec expurgetur, & vacuus fiat, interpoſitis autem diebus alatur ex ijsdem quibus & prius*; Tandem veluti ad Sacram Aram ad aquæ potum confugere non tantùm nos hortatur, ſed his Legiſlatoria maieſtate imperat, *Maximè autem de ea aqua bibendum dato, ex qua morbus corripuit plurimum, quò ventrem illius turbet, & valde ſeceſſum faciat, ſic enim potiſſimum ſanum reddes*; Arrectis ſanè auribus,

* de Ponto

ribus, animoque ancipiti quiſquis verba hęc audiens, ac perpendens primo occurſu hæſitabit; Aqua igitur pluuialis, & ſtabilis causa morbi eſſe poterit vnà ſimul & Medicina? Ab eadem forſan radice Aconitum, & Cicuta, Dyctamus germinant, & Panacea? Aut in rebus Medicis fabuloſum illud Commentum Telephi verum experiemur?

„ *Sanus Achilleis remeavit Telephus herbis,*
„ *Cuius pertulerat uires, & ſenſit in uno*
„ *Lethalem, placidamque manũ, Medicina per hoſtẽ*
„ *Contigit, & pepulit quos fecerat ipſe dolores*

inquit Claudianus.

Non aliò mens Hippocratis iuit, niſi peculiari aquæ exemplo ad pręceptum uniuerſale firmandum remedia omnia tempeſtivè propinata ſalutem, intempeſtivè mortem invehere, ſic *Æſtatis hora per viam longa miter faciens aquæ multum pluvialis, & ſtatariæ affatim bibens* in Hydropem delabitur ea, dumtaxat ratione, quia intus viſcera ob meatuum infarctum, illique circulo, exituque denegato reſtagnans morbum effecit, poſtea verò reſeratis ductibus, quemadmodum ibidèm Hippocrates hiſce patefecit, *donec expurgetur, & vacuus fiat, tunc autem maximè de ea aqua bibendum dato, ex qua morbus corripuit plurimùm, qua ventrem illius turbet,*

& ual-

& valdè ſeceſſum faciat, ſic enim potiſſimum ſanum reddes; Hinc quam candida, quam ſtabilis de aquæ potu doctrina promanat? Non tantùm ſi rectè propinetur Hydropes non producit, immò ipſis quoque genitis feliciſſimè medetur; Ex ſe namque perpetuo iuvat, ex impedimentis, hoc eſt per accidens, (Scholaſtici dixere) interdum obeſt; Sed illaqueatos iam hoſtes, ut à vinculis, quibus arctius obſtringuntur ſeſe expediant, Hippocratem inconſtantìæ reum accuſare non pudet; Scripſit etenim [ita perperàm argumentantur] in allato de victus ratione in acutis *, *aquam ſuaptè natura ſtercoris expertem eſſe*; mox verò aquam in Hydrope curando extollit, *quà ventrem illius turbet, & valdè ſeceſſum faciat*; Ænea Capita, nonnè diſtinguitis, ibidèm Magiſtrum ſummum, qui nec fallere, nec falli potuit (ſi fides Macrobio habeatur) aquam conſideraviſſe tamquam alimentum, eaque omninò obſervaſſe, quæ in acutis præceperat, non detinendum nempè eſſe ægrotantem ſolo aquæ potu, nam vires maximè labefactaret, cum careat conſiſtentia, quę in ſtercus abit, ſed interponendum inter alias potiones, quæ aliqua ex parte nutriant, modò autem de aqua pertractare, veluti Medicina, quæ

3. tex. 40.

quæ (perpendantur Hippocratis verba) *ſuapte natura ſtercoris expers*, attamen viſcera humectandi vi prædita, & per ipſa liberè permeans, *cum vacuus, & expurgatus iam fuerit æger*, corpus fluidum facit, ideoque iuxta divini ſenis Oracula, ſive Medici, ſiue Naturę miniſterio à ſarcina faciliter exoneratur, humoreſque Hydropis genitores per aluum ſecedunt, vnde *potiſſimùm æger ſanus redditur*.

Sed cum aqua efficax medicamentum à nobis in febribus eliminãdis appelletur, fuſiſque laudibus extollatur, adhuc, & quidèm firmiſſimè Eraſistrati auctoritatem iactantes contra nos pertinaciùs inſiſtunt, fidemque illius teſtimonio inviolabilem addictam volunt, febre, vel calido alio morbo plurimos detentos, quibus aquam large bibendam Medici consulunt, nativam flammam Hepatis obruentes in Hydropes miſerabiliter irruere; Apagite quæſo, apagite ſtrenuiſſimi Duces, nè falſò moniti multa temerè aggrediamini; Aduertite Illuſtriſſimi Cardani monitum, *Omnis Hydrops fit à calore, ideoque ignota eius cauſa Medici hucuſque circa therapiam offenderunt*; quam tamen doctrinam mitigatione indigere ſcimus, nam vt certiſſimum eſt, cauſam morbi huius remotam, & efficientem non rarò eſſe calidam, ſic proxima, & continens non alia

quam frigida agnoſci debet; *Intolerabili plerorumque pertinacia nè* (ſcripſit Hofmannus*) *dicam, an arrogantia, intemperiem Hepatis, vnde Hydrops exurgit, ſemper eſſe frigidam, ubi etiam Symptomata caloris graviſſima adſunt; Sed quomodo inquiunt Hepar calidum gignit ſerum? Non gignit, dicere conſueſco, ſed colliquat ſanguinem, partemque aqueam in abdomen deponit; Moneo verò hos tales ex Rondeletio, & rei veritate, Cordis partes primas hic eſſe, vel ideo quia fere in febribus accidit.* Facta colliquatione, ſiquidèm pars ſeroſa in cavitatem abdominis illabitur fit ſubitaneus Aſcites (una Hydropis ſpecies) ſi ſenſim, ac ſucceſſivè ſeſe paulatim in habitum corporis inſinuet, Leucoplegmatia (altera morbi huius ſpecies) erumpit; Ac tandem ex flatu tertia, ideſt Tympanites producitur à calore non proportionato materiæ; Quamobrem plurimum illi errant, qui flatùs à frigore ducunt, & fortè calefacientibus agunt; Nonnè Galenus hiſce ſanandis frigida adhibet? Nonnè vtitur Ptiſana ad victum, quæ utique frigida eſt? Et ad medicamenta, quæ tepidam caliditatem habent, ac non rarò frigefactoria appellantur, veluti Chamæmelum, & Roſa? Nam frequentiſſimè caliditas Hepatis à calido luculentiore diſſolvitur, vt lon-

---

* Inſtit. Medic. 3. cap. 67.

ut longo aromatum æſtuantium uſu, viniquè non diluti, ac meraci, vigilijs ſuperfluis, febribus Chronicis, & ſæpè ſæpius Quartanis, nec non ab acutis in Hepate nidulantibus tæda febrili vitæ lampadem diſperdente, atque diſſipante, maximè dum ſitibundis ægris crudeliter, & ſuperſtitioſè circumciditur potus (ſi phraſi elegantiſſimi Menioti vtamur) unde à cæco igne & quaſi lypirico, qui gratiosum Hepatis humorẽ tacitè depopulatur, retorridum, hoc eſt exuccum, durumque euadit, ac è ſuave rubenti nigrum; Hinc cæcutientibus etiam patet, Hydropem non modò hæredem fieri calidorum humorum, poſtquam ab ipſis peſſundatum eſt Hepar, ſed cum ijſdem quoque frequentiſſimè converſari; Sed hanc Cardani, Hofmanni, Meniotij, aliorumque auctoritatem omninò adverſarij reſpuunt, illoſque in ſerie Iuniorum reponentes, tanquam ab inſtituto, pactiſque (veteribus nempè doctrinis inhærendi) nos recedentes irrident.

Præterita igitur excurrantur ſęcula, ex quibus Hydropicorum aquas, quaſi thermales eſſent, è medijs viſcerum ignibus adeò ſcaturire obſervemus, vt Alexander Trallianus obſtupeat, quod aqua Hydropum nec calorem extinguat, neque febris illam exhauriat, ſed aquæ

ſimul, & ignis ſupplicio infelices ægri mulctētur, ac proinde medentes illis iure redarguat, qui Hydropicos omni arte calefaciunt, cum pleroſque adiutos refrigerantibus obſervaverit, qui celebratiſſimus auctor non multò poſt Iuliani tempora floruit, & Paulus Ægineta ſub Honorio, & Theodoſio protulit *, *Quidam Hydrops oritur omnis corporis carne velut exaqueſcente.* Et Galenus ** Tralliano, & Ægineta vetuſtior hæc tradidit *Atque Medici quidam Iecur nullo affectu tùm laborare exiſtimantes dubitant quomodo à Splene morbus Regius naſci poſsit, quemadmodum ſunt, qui à ſolo Splene indurato, nullo exiſtente in Iecinore vitio aquam inter cutem fieri poſſe arbitrantur; Haud ſecus hallucinari conſueverunt in ea quoque aquæ intercutim ſpecie, quæ ad acutos morbos ſequitur, quippè ab ijs Hepar calida, & ſæpe numero ſicca quoque intemperie tam graviter afficitur, ut cibum in ſanguinem tranſmutare non valeat*; Atque ab eodem annotatum eſt, ſuccis venarum per colliquationem in ſeroſam ſaniem ſolutis, ſubitaneum Hydropem naſci; Ex quibus nullum mentis oculos denſa adeò caligine merſos habere cenſemus, ut nitidiſsimè non inſpiciat, Hydropes interdum (ipſomet annuente Galeno) à cauſa calida, ſiccaque

* lib. 3. cap. 48. ** 3. de loc. affect. 1.

quę ſibi originem trahere, ac præſertim ab acutis morbis, quos inter Febrem primos occupare gradus & quiſnam vertet in dubium? Ideoq; conſtantiſſimè aſſerere ratione, & experimento fas eſt, aquam in curandis febribus fæcundam Hydropis genitricem dicere quiſquis deliraverit, ab æquis, probiſque medendi legibus reluctare, cum ab ipſa morbi huius ſæviſſimi generationem, & incrementa prohiberi ſciſſis dementię nubibus apertum iam iam illuxerit.

Sed horum omnium Hippocrates antiquiſſimus *, ex ſuccorum, pręſertimque ſanguinis colliquatione vi extraneę caliditatis Leucophlegmatiam celebravit; Atque ex mala colliquatione præter Dyſentericos, Diarrhoicos, ac Lientericos fluxus Hydropes quoque ſævijſſe teſtatur; Colliquationem autem ſemper à calore ortum ducere nullos ſanæ mentis profectò denegare credimus, idque Hippocratem ſatis docuiſſe reperimus, dum ex verſione Foeſij ** ſcripſit, *qui Ventres inferiores calidos habent, & acres; inæqualeſque deiectiones prodeunt, id ijs ex colliquatione contingit*, & in nuper citato de Internis Affectionibus *** legatur, *Si quidē fuerit in carne calorem facit & in ventre, & corpore, vt pinguedo ventrem ambiens colliqueſcat*, adeò vt niſi ventres infe-

de int. affe. & 2. epid. de ration. vict. in mo. acut. ſect 4. p. 405 tex. 66.

inferiores calidi fuerint, aut in carnibus calor efficiatur, nullo pacto colliquationes contingere poſſe confirmet; Idque Galenus ipſe multoties varijs in operibus commonſtravit, nam & inquit * *Calor adauctus valentiùs alterat, modò tamen ne eò incrementi perveniat, ut iam colliquet, tum namque ad omnia eſt inutilis*; Sed concinniùs rebus noſtris, aptiùſque ſeriem hanc verborum ſcribens opitulatur **; *Calida igitur intemperie circa viſcus exiſtente colliquationes fiunt primũ humorum, deinde etiam carnis ipſius Hepatis*; En igitur ſi per adverſæ ſententiæ patronos Hepate ſemper laceſſito fit Hydrops, quomodo, & ſępè etiam nimia caliditate correpto diriſſimum hoc morbi genus parturiat; Verùm quis ſolis radios oriente die nocturnas tenebras inferre potius, quam undique refulgentem huius doctrinæ lucem deliquia pati non credet? At licèt ſauciati inflexibilibus ſagittis, eas attamẽ refundere hoſtes noſtri adnituntur, licèt arcu enervi, & iam laxo, legibus, & æquis conditionibus bellum componere indignantes, obſtinati certaminis amatores, quibus nos certè pertinaces non erimus, illiſque, ſi ea, quæ dicunt, adſtruent, libentiſſimè aſſentiemur; Volunt igitur pluſquam par ſit animoſiores nova in

3. de sympt. cauſ. 3. de compoſ. medic. ſec.loc.lib.8.c.7.

in nos moliri certamina, ideoq; vel reum incoſtantiæ criminis Hippocratem confitentem habere, aut illius Dictatoria auctoritate victos in triumphum nos trahere, dum in libro de Corde * voluit, *Pulmonem aquam recipere*, vnde vel facillimè Hydrops exurgit; Verùm in opere de Diȩta ſibimetipſi repugnans *ventrem quidem maximum ſicci, & humidi promptuarium* conſtituit, *ut daret omnibus, & acciperet ab omnibus, Maris imitatione animalia in ipſo nutriri ſolita foventis, diverſa verò interimentis*; Facillimè fugaretur inſtantia, ſi tum de Corde Libellum, tum Opus de Diæta Hippocratis germanos non eſſe filios aſſeratur; Sed quoniam effuſa in utriſque doctrina Hippocratica ſapientia refulget, Viro maximo huic libentiſſimè adſcribantur, cum nos ſæpè etiam doctrinis inhæſerimus, quas illorum tradidit quiſquis extiterit Auctor eximius; Sed antequam diſcrimen inter hosce textus compeſcamus, quam admiranda in phyſicis ſapientia erudiamur, & quam concinnè Mundus minor comparetur maiori Mundo in nuper de Diæta cum Clariſſimo Antonio Ponce Sancta Cruce alacri, intentoque animo deguſtemus; Inquit igitur ſummus Auctor ille Ventrem in nobis maris inſtar exiſtere; Vt enim Mare adeò vaſtum

* text. 67.

ſtum eſt promptuarium, ut quamvis aliqua animalia interimat, foveat tamen, & generet penè infinita, ita Venter, qui totam maſſam primi alimenti, & potulentæ ſubſtantiæ ſuſcipit, omnes partes fovet, atque ab eo, veluti à magno Oceano in ipſas alimonia reſudat; Quam elegantiſſimã comparationẽ ab Heraclyto mutuatus eſt doctrinæ pulchritudinis cauſa, & dignitatis ſummi Viri omnia in ſeſe continentis; Cuncta enim in noſtro corpore fieri, ac in maiori Mundo putabat, quemadmodum Peripateticorum Princeps in Problematibus indicavit; Vt igitur mare natabilia generat, & nutrit, terreſtria verò enecat, reſpirationem auferens, ita pariter & Ventriculus ſola illa alimenta generat, & fovet, quæ vitalia pro partibus alendis ſunt, cætera verò inquinat, atq; interimit; Si ergo [adverſarij ſubſumunt] Ventriculus eſt maximum humidi promptuarium, quonam pacto Pulmo aquam recipit? Et Pulmonem aquã recipere unanimes iuere Philiſtio Locrenſis, & Dioxippus ex ſchola Coa, & Cnidia, in quibus adhuc gens Aſclepiadarum florebat, antiqui, nobileſque Medici, & inter Iuniores doctiſſimus Andreas Laurentius, Ludovicus Mercatus, alijque perplures; Nonnè Protogenes Grammaticus adversùs Niciam Nicopolitã ar-

tis

tis noſtræ haud ignarum, vel equidem alti nominis apud Plutarchum aquam in Thoracem irruere negantem ſæviſſimè redarguebat? Nonnè id etiam Poetæ decantavere?

„ *Irriga Pulmones vino, Aſtrum enim exoritur*

inquit Alcæus, & Homerus ſcientiarum ſeminarium per guttur in Pulmones non ſolùm potum deſcendere aiebat *, ſed & ipſa alimenta

„ …… *Pando de gutture vinum,*
„ *Fruſtaque proiectat tetro fluitantia tabo;*

Et Eupolis in fabula, quæ inſcribitur Colaces his loquebatur

„ *Potare nunquam iuſſerat Praxagoras,*
„ *Pulmone ut eloto canem præverteret.*

Quibus ipſa Pulmonis ſtructura aſſentitur, nam foraminibus plenus, cavernoſus, rimoſiſque fiſtulis perforatus, non quidem ut aer tranſeat, & expiret, qui anguſtiores etiam poros penetrat, ſed liquidorum gratia affabrè elaboratus cenſetur, quod Erathoſtenes confirmavit

„ *Pulmonis latebras ille rigaret mero;*

Immò Tragicorum Princeps Euripides

„ *Pulmonios means per anfractus merum;*

Ac tandē ne ſolummodò Appollineis metris doctrinam hanc fulciant, maximi Philoſophorū auctoritate, divini nēpè Platonis idē hoc aſſerentis,

* Odyſs. 1.

velut in acie tutiſſima inexpugnabilem, munivere.

Meritò igitur Hippocraticus Dioxippus Epiglottidem nulla alia ratione pendere exiſtimat, niſi ut à potu cibum dividat, tranſeatque humor in Pulmonem liber, non impetuoſus, ſed refractus, exeuntem ſpiritum ne impediat; Cuius placito non futilibus argumentis robur adaugent apud eumdem Hippocraticæ Philoſophię celeberrimum auctorem recenſitis; Quorum primum deſumunt ab Avibus, quæ Epiglottide carentes aquam non ſorbent, aut trahunt, ſed potiùs immiſſo roſtro paulatim inducunt, & Pulmonem ac ſi rore leniretur, madefaciunt, ſed & ſenſus opinioni huic obtemperat, nam ſciſſo gutture, incolumi exiſtente gula, confeſtìm proſilit aquæ copia; Quin Pulmone malè ſe habente ingenti ſiti ęgrotantes torqueri non experimur? Nonnè quibus Natura denegavit Pulmonem, vel paruum dedit, his etiam bibendæ aquæ vſum denegare conſuevit? In Pulmonem itaque tendit aqua, ſiquidem cum quo habet hanc ſimilitudinis amicitiam, vt eam anxiè deſideret, ipſa verò ſuaviter illius appetitum adimpleat, & recreet; Inſuper ſi unà in ventriculum coeunt cibus, & potus, quorſùm vrinæ fabricata veſica fuit, ſiqui-

quidèm mixtum vnius coctionis excrementum, unum potuit habere exitum? Ergo ſiquidèm tam diſtinctè patent viȩ, per quas extra corpus humida ſubſtantia ſecernitur, & nihil alterius ſicci recrementi in ipſa apparere ſoleat, ſi tam ſemotæ officinæ, ut in Veſica lapides, in Ventre autem nunquam reperiantur, apertè hinc euincitur, non illum, ſed Pulmonem humidi promptuarium exiſtere; Ex quibus inferunt vel Hippocratem in nuper citato contextu ſibimet obſtare, aut quæ ſorbentur in Pulmones deſcendere, unde in Hydropes ex largo frigidæ uſu inevitabili fato, laxiſque habenis homines prȩſertim febricitantes labeſcunt; Quam adeoque Herculeam, numeriſque omnibus abſolutam conclusionem elicuiſſe arbitrantur, ut de Pulmone agentibus Adagium illud adamuſſim ipſis aptari debeat *de Pulmone revellere*; Stultum ſcilicet, & turgentem faſtum animo eximere impoſſibile ſanè eſt; Sed vel facillimè eorum inſtantijs ſuccurrere, & ratiocinia nodis exuere poſſemus, ſi (ut ſuperiùs diximus) Opus de Diæta, & de Corde tamquam legitimum Hippocratis non amplexari placeret; Sed verus, aut non eorum ſit Pater Hippocrates, unumque Philothimo, alterum Polybio adſcribatur, quoniam maximi Medicorum doctrinam, alijſque

graviſſimis illius ſententijs conſonam continent, veluti germanum, ac verum utrumque propenſo animo veneramur; Non Mehercule ut nos ab obiectis hiſce expediamus, ſibique conſtantiſſimus Coorum Maximus demonſtretur, longo ſermonis tractu Pulmonum, ac Epiglottidis miniſteriũ inquirere indigemus, pręcipueque cum varios hiſce viſceribus uſus Auctores præſtantiſſimi impertiantur; Hippocrates * enim humorum attractionem Pulmonibus aſſignavit, alibique ** pituitam ab vniverſo corpore, ac præſertim à capite exhaurire præcepit; Plato in nobis ideò progenitos credidit, ut ab eis Cor iræ incendio exardeſcens moderaretur, cum Dij, inquiens, cognoſcerent, Cor rerum terribilium obiectis trepidaturum, iraque ſæpius flagraturum, ęſtus illius demulcendi beneficio Pulmones ipſi adhibuerunt; Ariſtoteles *** eorũ ſententiam reiecit, qui ad Cordis Palpitationem Pulmones facere ſtatuerunt; Galenus duplici officio nobile hoc membrum induit, vaſorum ſcilicet diviſionem ſupplere, externumque aerẽ concoquere, cui quodammodo oculatiſſimum Veſalium aſſentiri obſervamus; Nonnulli animi faſtus ibi reſidere putarunt, ũde Perſius ****

„ .... *Quid iuvat Pulmonem rumpere vento*,

„ *Ste-*

* lib. de ust. medic. ** 1. de morb. *** 3. de part. anim. **** satir. 3

„ *Stegmate quod Tuſco ramum milleſime ducis*
Abenſina molle Cordis ſuſtentaculum, & culcitram nuncupavit, ac proinde non mirum, ſi aliqui poſtmodum non ad vitæ neceſſitatem, ſed ad Cordis commodum Pulmonem conditũ voluerint; Realdus Columbus noſtri quondam Gymnaſij decus, & lumen, illum ſublimiori muneri, ſpirituum nempè vitalium generationi præfecit, quam elegantiſſimam doctrinam Back huiuſmodi ratiocinio tuetur; Vbi maior (ſcripſit) commoditas datur, & occaſio, ibì equidèm ſanguinem integrè elaboratam perfectionem nanciſci par eſt, Pulmonibus dumtaxat ſemper præſens aer, & conveniens compoſitio contingit; Anatomicorũ diſertiſſimus Andreas Laurentius quinque in Pulmonibus opera enumeravit, in ſubsidium pulſationis Cordis eſſe, illudque refrigerandi, atq; edendę vocis gratia, utq; eidem inſtar ſuſtentaculi inſervirent, ne parte anteriori ad os pectoris, poſteriori ad ſpinam allidatur, dum animal vel terrore corripitur, vel iracundia movetur, ac tandem pro aeris præparatione; Poſtremoque huic officio chimicis verbis locutus ipſos antea Paracelſus * dicaverat; *In pulmonibus aeris fieri digeſtionem, ibique ſeparationem puri ab impuro exori-*

* lib. 2. cap. 4.

riri; Et Helmontius ſummæ ideę Vir peculiare in Pulmonibus fermentum celebrari tradidit, omnique prorſus carere motu, & Cribri tantùm, ut aer purus Thoracem ſubeat, vices gerere ſibi, alijſq; perſuaſiſſe autumavit; Nos vel uni ex ijs, aut alicui ex nuper natis ſententijs, quas ne audientes tædio occupemus, enumerare prætermittimus, calculum noſtrum adijcere cum minimè teneamur, quando autem de Morbis peculiaribus (Divino ānuente Numine) pertractare ordiemur, quibus aquę uſu vel maximè Medicina prodeſt, fuſiori etiam ſermone de Pulmonum officio, & ſtructura diſſerere pollicemur; Nobis modò ſatis ſit, nec in ipſos potulentas materias elabi, neque id unquam Hippocratem enunciaſſe; Quam candidam veritatem effulgere ſtatim unuſquiſque videbit, qui eidem hiſce loquenti adapertas aures concedat * *At verò dicunt nonnulli id quod bibitur in Pulmonem deferri, ex eoq; in reliquum corpus; Hi autem ex eo quod dicturus ſum coarguuntur, quod Pulmo cauus exiſtit, eique annexa eſt fiſtula; Quod ſi Pulmo cauus non eſſet, neque ei adnaſceretur fiſtula, animalia nullam vocem emitterent; Vocem enim ex Pulmone edimus, quòd cavus ſit, prætereaque eius fiſtula; Vocem autem labra, & lingua articulatam reddunt;*

De

* 4. de morb. ſect. 5. pag. 513.

De hoc autem à me exactius dictum eſt in Pulmonis inflammatione; His igitur, qui potum ad Pulmonem ferri exiſtimant, quæ hoc ſe habent modo, opponam; Potus in ventriculum concedit, à ventriculo verò in reliquum corpus exhauritur; Ad hæc verò argumenta animum attendere oportet, quæ proferam, cur potus in ventriculum, non in Pulmonem concedat; Si enim potus ad Pulmonem ferretur, ubi Pulmo oppletus eſſet, non facilè quis ſpiritum trahere, neque loqui poſſet; Neque enim Pulmone pleno eſſet quod reſonaret; Et hoc quidem unum eſt argumentum; Deinde ſi potus ad Pulmonem procederet, cibi in nobis ſicci non ſimiliter coquerentur; Iſtaque duo ſunt argumenta; Quin & medicamenta Ventrem ſubducentia ubi potu ſumpſerimus, extra Ventriculum feruntur; Habet autem ſe res hoc modo; Quæ medicamenta ſurſum, aut deorſum, aut utroque modo purgant, hæc efficiunt; Omnia valde urunt, & ex his quidem valentia ſi fortè mollem aliquam corporis partem contigerint, eam ulcerant; Leviora verò turbationem in corpore excitant, quodcumque vel leviter attigerint; Quod ſi aliquid ex his medicamentis ad Pulmonem veniat, magnum aliquod malum mihi excitare poſſe videtur; Pituita enim ex capite veniens, eum parvo admodum tempore exulcerat, cum tenerum quiddam, & rarum ſit Pulmo, & ſi exulceratus fuerit aliquis ſa-

nè multis de cauſis non benè habet; Ventriculus autem à medicamentis non exulceratur, cum robuſtum quiddam ſit, velut Corium ſcilicet; Et in Lybia plerique ex incolis pecorum pellibus pro veſtibus, & ventribus pro ſacculis utuntur; Ventriculus enim robuſtum quiddam eſt; Præterea ubi homines vinum nigrum ingeſſerint nigra per aluum egerunt: Hæc quidem omnia argumenta ſunt: Ac ubi Allia, aut aliud gravis odoris edulium comederimus, urinam cibi odorem referentem excernimus: Et hæc quidem argumenta, tùm ea, quæ dicturus ſum ſpectanda ſunt: Si quis Cyceonem biberit, aut farinam coctam, aut aliud quid huiuſmodi ſorbitione acceperit, idque ad Pulmonem perveniat, hunc ne minimum quidem temporis victurum ſperamus; Vbi enim paulum quid pituitæ ad Pulmonem, aut eius fiſtulam venerit, multa, & valida tuſſis, convulſioque oboritur: Si igitur utique vixerit qui Cyceonem biberit aut farinam coctam forbitione ſumpſerit, ubi concocta ſorbitio fuerit, copioſum & vehementem calorem in corpore excitari cenſeo, ut proinde minimè conveniens ventris egeſtio conſequatur, ſi ad Pulmonem veniat. Iſtaque ſeptem ſunt argumenta. Præterea qua ratione Lac pueros enutriret, ſiquidem ad Pulmonē concederet? Quod eſt aliud à me adductum argumentum. Ac ne iſta quidem argumenta ad orationem noſtram probandam adduxiſſem, niſi adeò mul-

ti potum ad Pulmonem concedere exiſtimarent.

Quibus necti urgens etiam hoc ratiocinium poſſet, qualiſcumque aquæ, vel perexigua portiuncula, quæ in guttur contendat, infenſa adeo tuſſi animal urgeri inſpicimus, ut maximo angore ſuffocari videatur; En igitur quam à ratione, ac veritate procul ſit, Hippocratem naturalem locum ad aquam recipiendam Pulmonem exiſtimaſſe; Quin? Antiquos ibì redarguit, quòd in ipſum aquam corrivari crediderint; Neque doctrinæ huius claritatem obſcurat textus in libello de Corde obſignatus, in quo mentem nequaquam Auctoris fuiſſe aliquis ſibi arroget, potum in Pulmones tendere, ſed illius dumtaxat reſudare aliquid per rimulas; Potuit nè ſatiùs id patefacere, cum ibì talia protulerit, *Sed quomodo aqua acervatìm irruens turbationem, ac tusſim multam exhibet? Propterea inquam quod contra reſpirationem fertur, quod enim per rimam illabitur, tamquam iuxta parietem delabens aeris delationi non inſtat, ſed levem, ac lubricam quamdam viam humectatio ipſi præbet*; Quam ſecutus Ariſtoteles ijsdem ferè verbis in Opere de Partibus Animalium illius rationes adducit*; Et quid, obſecro, magis compertum inter Galeni sectatores, quam Syrupos

* lib. 3. cap. 3.

pectorales frequentiùs, ſensìmque exhibere, ut per rimulas gutturis lambendo paulatinè in Pulmones deſtillent? Hoc iterum Senex Optimus in libro de Locis in Homine firmum fecit, ubì agens de quadam Pleuritidis ſpecie, quam ſicca Pulmonum intemperies comitatur, dixit, *Hanc multis potationibus curare oportet, & lavare;* Certè non inquit *multo potu*, nam hic repentè ingruens in Ventrem totus effluit, aut ſi aliquid in Aſperam Arteriam dividitur, ſuffocationem excitat, verùm ſapientiſſimè ait *multis potationibus*, partitis ſcilicet, ſic enim paucum ebibitur, & aliquantulum transcolat ad Pulmones; Mos equidem Hippocratis erat, cum parum, ac frequentèr, & paulatìm aliquid fit, diviſum illud ſignificare, quemadmodum in Prognoſticis *ſudores multi* partitis vicibus ſudare, non verò cumulatè ſignificant; Ac proinde liber de Corde, quartus de Morbis, ac de Locis in homine ſibi mutuò ſanè conſpirant? Ita vnanimes tradunt Hippocraticæ ſapientiæ præſtantiſſimi enarratores, quos ſi interdum conſulere aliquem non puderet, nitidiorem Auctoris mentem agnoſceret, nec adeò facilè offenderet in abſurda; Si humiliter de nobis ſentiremus, prius quicquid ſapientes de Hippocraticis doctrinis ſcripſerint, audiremus, tutiùs inde fontem adeu-

adeuntes, non obrueremur aquarum copia, ſed ipſas ſuaviſſimas deguſtando, addiſcendi ſaturaretur ſitis; Nam ſi quæ obiecta intueatur oculus ad lucis ſolaris reflexionem, iam probè, & diſtinctè videt qualia ea ſunt, at ſi in radios ipſos ſolares directè intendere velit, nimia ſic perſtringitur luce, ut colores rerum, & figuras haudquaquam diſcernere poſſit; Dioxippi ſententiæ, quod ſcilicet Epiglottis nullo alio fungatur munere, niſi humidum alimentum à ſicco diſcriminandi, tamquam non omninò verę non integræ aſſentiuntur oculatiores Anatomici; Siquidèm Epiglottis, inquit Pollux, ſimplicis eſt vocis Organum, Lingua autem articulatæ, eamque Galenus * vocis plectrum appellat, quę veluti operculum Laryngis inſpirantibus, ac expirantibus hiet, & ſolo pondere alimenti obſeretur, non tamen adeò vt aditus aliquantiſper potulentæ ſubſtantiæ non pateat, exudat enim, & illabitur, vias illas demulcens uſque ad Pulmonem, prius Epiglottidem madefaciens, quæ particula veluti lingua fiſtulæ adhærens irrigatur, ut concinnè voci deſerviat; Quamobrem ſapienter Galenus humiditatem huius particulę, non qualemcumque, ſed glutinoſam eſſe obſervavit, nè facilè motibus euaneſcat; Agno-

* 11. de uſu part.

vit ergo tantillum recreari humore aſcititio, ut aptiùs intacta nativa temperies ſervetur, ideoque diſertè, ac ſapientiſſime ſcripſit *, *Neque qui febribus ardentiſſimis conflictantur, neque qui per magnos æſtus iter fecerint loqui prius poſſunt, quam Larynx perfundatur*; Hinc inter recentes pro omnibus vnus Clariſſimus Thomas Bartholinus**, *Epiglottis dicitur, quæ rimam tegit, & claudit, ne ex cibo, vel potu in tracheam multa decidant, ſed clauſa* Epiglottide *in gulam abeant, non verò exacte clauditur, quin parum ad latera ex potu deſcendere queat, quando enim dicitur potum non tranſire in Tracheam, & Pulmones, de maxima parte intelligendum eſt, nam aliquid eò deferri ſupra audivimus, vnde in affectibus Thoracis* Eclegmata, *& Tabellas præſcribimus in ore reclinato capite tenẽdas, donec liqueſcãt; vt portio aliqua per Tracheæ parietes defluat* Hac fortaſſe ratione Aviculas roſtro immiſſo paulatim bibere, ne in reſpirationis Organum aqua decidat, nos contra Adverſarij ratiocinabantur, quibus nequaquam concedemus ſciſſo Gutture, incolumi exiſtente Gula exilire aquæ copiam, quibus etiam perpetuòque animalia Pulmone carentia non sorbere negabimus, nullum etenim animal, quod aquam ignoret reperiri credimus, non Marinum, non Terre-

11. de uſu part. 13.   de thor. lib. 2. cap. 11.

reſtre, non Æthereum abſque ea vitam degit; Carnìvora etenim animantia, quorum aliqua nõ bibere Ariſtoteles tradidit, re vera humoris opere, ac beneficio conſervantur; Multa equidẽ volatilia animantia ſunt, quibus minimè denegavit natura potum, licèt Organa ad Lotium deſtinata ijsdem non conceſſerit; Sique utplurimùm malè affecto Pulmone æger inexplebili ſiti torquetur, non inde argumenta conſurgunt, Pulmonum igitur gratia adinventum fuiſſe potum, nam in eorum præter naturam affectionibus cum ibì candeſcat calor, aer accenditur, æſtuat Cor, & Ventriculus, partes Gutturis flagrant, atque Oeſophagus unà ſimul per fibras, membranas, & vaſa interiecta, quibus communicat cum Aſpera Arteria exardeſcit; Inanis profectò (cum Logicis immoremur) syllogizandi vis, Pulmonum culpa præter naturæ leges ſe habentium ſitis enaſcitur, Pulmones ergo geniti ut potionum receptacula forent; Idem de Splene, de Renibus, de Inteſtinis, deque alia quavis noſtri corporis particula ex exterioribus etiam, ſi inflammatione corripiatur, cuius ob cauſam ægrotans ſiti crucietur aſſerendum pariter erit; Inanis iterum syllogizandi vis, nam ſi quid epoti fluidi ad Pulmones fertur, perexiguum ſanè eſt,

per-

perque vix perceptibiles rimulas, illudque non affatim irruens, quemadmodum largas, ac feſtinatas aquarum menſuras anxiè, patuloque ore febricitantes exhauriunt, verùm ſi aliquid ad illos pervenit, eò ſegniter, ac guttatim deſtillat; An autem deſtillet, adhuc penès nos latet ſub iudice, nam animadvertentes internam Aſperæ Arteriæ tunicam, cumque ipſam ferè innumerabilibus perexiguis glandulis refertam viderimus ex ijs facilè ſuccum erumpere, quo & ipſa munijs ſuis neceſſariò obeundis madefiat, & ipſe Pulmo, ſi opus fuerit, irroretur, quod à ſapientibus viris in Anatome longè, probèque verſatis habuimus, nihilque eius quod sorbetur Pulmones adire probabiliter opinamur; Divino etenim ſcribente Hippocrate in eodem quarto de Morbis legitur *Aqua in Ventriculum decidit, à Ventriculo verò in reliquum corpus exhauritur;* Ex quibus hùcuſque traditis aquæ uſum plurimi in febrium curationibus eſſe momenti, neque Hydropum generationi inſeruire, ſed iam genitos perſanare, ac per quæ impedimenta non raròab eadem Medicina cæteroquìn eximia in febribus ſeſe abſtinere, interdum autem & arte refrigeratam, uberique copia propinare cordatos medentes deceat clarè, fusèque innoteſcit; Plura adduci

ci poterant ex ſummi Dictatoris Oraculis, verùm quia de Partium Morbis ſuſcipere negotia ſtatuimus, ibì quæ ſpontè linquimus, in medium arte afferemus.

Sed ad Galeni dogmata iuxtà veterem in febribus exhibendæ aquæ morem accedere tempeſtiuum eſt.

Conquerebatur olìm Galenus inquiens *, *Quod ſi curare aliquando infirmum cogeris, cui non ſolùm antea ſecandæ venæ remedium prætermiſſum eſt, ſed nunc quoque per Medicorum ignorantiam, vel ipſius laborantis, propinquorumque eius timiditatem procedente tempore mittere ſanguinem prohiberis, ad frigidam exibendam accedes, ſed diligenter ante diſcernens quantum ex ea nocumentum accidere poſſit, nam ſi id aut exiguum erit, aut nullum, offerenda potui eſt, quæ prorſus ſit gelida, quantum bibere ægro libet, quinimò magis id audebis, ſi frigidæ potui inſueverit;* Eodemque in loco nitidioris doctrinæ gratia ſubiunxit; *Vbì namque nonnulli aquæ frigidæ potioni non aſſueti, tamen propter ardentem febrem bibere eam coacti, nullum incommodum ſenſerunt, multò profectò minus eorum qui aſſueverunt quiſquam lædi debet, cui etiam quaſi pro munimento maximo accedit ipſa copia caloris; Maxima verò continentium febrium remedia hæc* duo

* 9. meth. med. 5.

duo ſunt, detractio ſanguinis, & potio frigida.

O' ſi uſque ad hæc noſtra tempora vixiſſes ſapientiſſime Pergamene, non Medicorum mehercule ignorantiam, non ęgrotantis, cognatorumq; pavorem redargueres, verùm non dūtaxat mulierculas, ſed genere præſtantes, & gravitate Matronas, Viroſque ſapientia maturos medentium intereſſe conſilijs, ipſiſque acriùs renuere, tecumque etiam de morborum naturis, & cauſis, deque Pharmacorum materijs diſſerere obſtupeſcens audires.

Vnde, obſecro, Medicinam callendi, non Iuriſprudentiam, non Mathematicam, non Dialecticam tanta mentes hominum cupido excitat? Si dicendis humanè conceditis aures, & Medicinam artium omnium nobiliſſimam, & ex qua ſublime corruit in humana pectora incitamentum, ut eam feliciter aſſequantur, ſatis exploratum confidimus; Nam ſi laudabilis ſemper hominum ambitio gloriæ pennis ſpecioſiora disquirens effertur in altum, iure & optimo artem hanc poſſidere, ut unicuiq; commonſtrent, ſtudio, & induſtria in ægrotantium miniſterijs libentiſſimè ſeſe exercent; Medicina etenim non ſicuti aliæ artes exiguis limitibus, ac terminis concluſa eſt, verùm ex cunctarum univerſa complexione coagmentata, proinde-

que

que cum ſingularum difficultatem ambitu ſuo conſtringat, omnibus fateri expedit, infinita voluptate redundare, ne addiſcentium ſtudia infringantur potius, quàm magnitudine ſcientię, & honoris invitamento pellecti amplexentur.

Vt igitur Apes hinc, atque illhinc ad mellis illum inimitabilem humanę rationi ſaporem conficiendum delibant, ita pariter & Medicina ex ſummis quibuſcumque artibus aliquid ad noſtrę ſocietatis neceſſitatem depromit, nam ex Arithmetica Criticis morborum numeris utitur; Ex Geometria de apta, & concinna membrorum collocatione, decenti, ęquabilique dijudicat; Ex Aſtronomia Stellarum motus, concurſus, Lunæ ortus, incrementa, & deliquia, Aeris viciſſitudines, Aſtrorumque exordia, & occaſus obſervat;

Quid de Philoſophia referendum, à qua in omnem ſcientiam plurimum vtilitatis corrivat? Non alij equidèm fuerè niſi Philoſophi, qui primi non modò cæteros curarunt morbos, ſed graviſſimam quoque luem, peſtemque per Vrbes, & Agros ſuccenſis ignibus ab Ægypto interdum depulerunt, ac depellendæ pariter rationem, & viam vniverſæ Græciæ demonſtrarunt; Neque modò efferemus quantum hominibus fuerit Medicina frugifera, & ad rem domeſticam

ſubitò parandam, aggerendamque præſentanea; Fecerint hoc illi, qui rerum precia quæſtu, ac utilitate metiuntur, divinior nobis ſemper medicina fuit, quam vt hiſce rationibus exiſtimetur;

At ſi per multas res ſola ipſa commendat antiquitas, artem hanc prima omnium invexit neceſſitas; Si ſcientiam auctores illuſtrant, huius primi celebrantur pro Dijs; Si difficilia magis quæ ſunt, ea & honeſtiora, & pulcherrima, nihil hac operioſius, cum ex tot diſciplinis conſletur; Si dignitate rem habemus in pretio, quid excellentius, quid nobilius, quam ad Dei benignitatem accedere, humanumque genus ſervare? Si neceſſitate, quid æquè neceſſarium atque id, ſine quo iucundè vivere denegatur?

Si igitur Medicinæ capeſſendę cupiditas nobiliores etiam animos allicit, utpotè ſibi iniunctas alias etiam celebriores diſciplinas adducat, in artifices, obſecro, artis omnium præſtantiſſimè nullus adeò acriter invehatur, ut minimam nec apud ipſum ſtudia, & lucubrationes gratiam excitaverint, atque amorem; Nulla equidèm exiſtimatioue accipiendi illi ſunt, qui medicam facultatem ita aſpernabilem cenſent, vt eam ſex menſium cum Theſſalo fecerint diſcipli-

plinam, illudque morientis Adriani frequenter, patuloq; ore inſuſurrent, *Turba Medicorum interfecit Regem*.

Improbum ſanè putabitur ſapientibus mortem hominum impudenter, perpetuoque Medicis vitio vertere, quibus perſanare neminem, ſed cunctis ritè mederi onus ex artis legibus commiſſum ſcimus.

At ſiſtamus gradum, quò etenim profecti fuimus revertendi tempeſtiuum eſt; Lamentabatur (ſuperiùs diximus) Galenus noſter poſtquam febricitantibus efficax mittendi ſanguinem remedium omiſſum fuerat, ad aquę frigidę potum Medicos ſtatim non devenire; Vnde non debile, fractumque hoc deſumitur ratiocinium, aquæ ſcilicet uſum in febribus penès etiam optimi huius Præceptoris doctrinam maximum cenſeri medicamentum, at ſi paulò inferius, eodemque in libro impedimenta nos docet, quæ uſum tantæ inhibent Medicinæ, idē munus exequitur, quod Hippocrates ipſe ſapientiſſimè Medicos admonens exercuit, ne ſcilicet dum permittentia deficiunt, à morbo poſtulatum remedium, etſi mirum in modum efficax, minimè exhibeatur, veluti nos fuſiori oratione ſatis iam oſtendiſſe nihil addubitamus.

Sed adverſæ ſententiæ vigent adhuc propu-

gnatores, & maximam difficultatum efferunt in triumphum, ſiquidem ex ipſomet Galeno deducunt, nondum frigidam febricitantibus propinandam, niſi humorum coctionis iam iam exordia refulſerint; Qua igitur (in nos clamitant) qua ratione ipſis vix gemmantibus febribus exhibetis aquæ gelidæ potus? En Auctoris oraculum *, *Siquidem cum ſæpè iam viderimus non paucos ex ijs, qui febribus ardentibus premerentur, cum iam mediocriter concocti humores eſſent, ſtatim exfrigidæ potione fuiſſe liberatos, quamvis ei potioni parùm aſſueti fuiſſent, multo (arbitror) magis in ijs, qui aſſueverunt, utilitatem fore citra noxam ullam ſperabimus.*

Gloriemur tandem, hoſtes fateri coegimus, frigidam in perſanandis febribus non tanquam peregrinum ad nos acceſſiſſe remedium, ſed vetuſtiſſimum, & dumtaxat opportunè adhibendum ipſo apparente manifeſtæ coctionis initio; Verùm aurea hæc Galeni verba, & monita pretioſiſſima advertant, inde aut ultrò contendant, vel concinant Palinodiam **, *Alteri verò, qui eodem tempore ægrotarat, & ſe nobis commiſerat, quoties nutritus eſt, fontanæ planè gelidæ dedimus interim binos cyathos, interim ternos, quando frigidam ſimul multam ſibi dari, qui ita ſunt af-*

fe-

9. meth. med. 16. 10. meth. cap. 5.

ſecti citra noxam non ferunt, quocirca utiliſſimum eſt, ubi febris ideam perſpexeris in prima ſtatim acceſſione minore cum periculo, copioſiore frigida uti corporibus ad validam ſiccitatem nondum perductis; Qui enim in fervoribus ſub Canicula ex ira febricitavit, iuuenis autem hic erat ſiccus, & calidus, ubi in prima acceſſione duas frigidæ Heminas bibiſſet, ſtatim quidem invomuit flaviſſimam bilem, non multo autem poſt etiam deorſum excrevit; Deinde cum rurſus poſt cibum aquæ circiter Heminam ſimiliter ſumpſiſſet, iam febricitare deſiit; Non defuere tamen Medici, qui cum nullam à principio febris ſpeciem agnoſcerent, ſed poſtea cum iam præterijſſet occaſio, intelligentes vel in Hecticam, vel etiam in Maraſmodem febrem ægrotantem incidiſse, frigidam bibendam nos imitantes præbuerunt, ſed nemo metam attigit, nam magna ſollicitudo habenda eſt in ijs, qui ita ſe habent, de frigidæ potionis menſura.

Ex quibus manifeſtiſſimè prima fronte contradictionis culpa redarguendus omnibus Galenus erit, dum præcepta frigidæ ebibendæ tradens ſcripſerat *cum iam mediocriter concocti humores eſſent*, inde verò *in prima ſtatim acceſſione minore cum periculo copioſiore frigida uti*; Si itaque ut materia peccans ex qua febris naſcitur præparetur, aquæ potus ægrotantibus elargimur ex ſummi Hippocratis oraculo, *Corpora cum quiſ-*

piam purgare voluerit, *expedit prius fluida facere*; ipſo etiam febrium exordio tutiſſimè, iucundèque paratur; Verùm ſi aquam utpotè Medicina ſolutiva ſit, adhibere conveniat, tunc non antequam coctionis ſpecimina appareant in potum ferre fas erit, ut illi inviolabiliter pareamus Legi *Concocta medicare*; Nos igitur ita ſentimus, atq; in iſtis conciliandis Galeni locis calculus noſter hic eſt.

Adauget tantæ robur doctrinæ ipſemet ſapientiſſimus Auctor candida hæc explicans contextus verba, *Vbi autem dolor aliquis vexaverit, Oxymel bibendum dabis, hyeme calidum, æſtate frigidum, quod ſi multa ſitis fuerit, Melicrato utendum, & aqua*, diſertiſſimè, ut illius moris erat, tradidit *, *Nempè id ad eam, quæ in acutis morbis magno eſt adiumento nos hortatur gelidæ aquæ potionem, quam omninò prætermiſiſſe videtur Hippocrates, atque ob eam rem à quopiam culpari poſſet, res etenim doceri, non negligenter, incurioſeque narrari debuit; Quam ergo opinionem habuit de aquæ frigidæ potione, ex hoc ſermone intelligi poteſt; Nempè ſi Hippocrates ſitientibus Oxymel frigidum aliquando exhibebat, quod & aquam daturus ſit eſt manifeſtum, quamvis ſiquidem non prorſus de frigidæ potione id præceperit, veruntamen do-*

* in lib. Hipp. de uict. rat. in morb. acut. Com. 1. tex. 43.

dogmata ſequitur ipſius, utpotè qui febrem ex nativo calore igneſcente ſuſcitari exiſtimet, atque contraria contrariorum eſſe remedia; Cum autem ignis (græcè Pyr) tum calidus, tum ſiccus ſit, atque ob id etiam febris (græcè Pyretos) ſanè aqua febris naturæ adverſiſſima eſt, corpus tum refrigerans, tum humectans, & ſanè ab ea, ſi tempeſtivè detur, febres protinus extingui videntur; Dictum certè abundè in libris Methodi medendi, ſed & nunc rei ſumma dicetur; Cum ergo febris fuerit conſtante virtute, tunc non ſolum non offendes, dans frigidam, verùm & abundè iuvabis; Potio autem frigidæ huiuſmodi tanta ſit, quantum frigidæ aquæ æger inſpirando haurire poſſit; Sed hoc præ cæteris veritati huiuſmodi doctrinæ ſtrenuiſſimè opitulatur firmiſſimum argumentum.

Si aquam dumtaxat in coctionum primordijs exhibere, & Galenus hortatur, & Hippocrates precipit, qua, obſecro, ratione ad illius vſum non tamquam purgantis medicamenti, ſed veluti fractas febricitantium reficientis vires nobis deveniendum ſuadet Divinus Senex hanc verborum ſeriem enarrans*? *Damnata autem propterea ab hominibus eſt Mulſa, quod bibentes ſumme imbecillat, atque ob id citam afferre mortem ſit credita*. Quo in Commentario omni prorſus amba-

---

de morb. acut. Comm. 3. tex. 7.

bagum fracto velamine nitidiſſimam veritatem aperuit inquiens, *Aqua ſiquidem nō vt alimentum vires recreat, ſed benè vt medicamentum ad temperamenti symetriam, quæ propter ipſius immoderationem imbecilla ſunt, reducens.*

Quin? Non aliò reſpexerunt ij Principes Medicinæ Viridum mel aquæ commiſcuere, niſi ut in quibus penetrationis gratia melle opus erat, eius beneficio, & ope viȩ redderentur patentiores; Et profectò ubi ſuſpicio noſtrum non occupat animum ne intus viſcera diutiùs aqua immoretur, ea ſola impermixta, & syncera aſſequi id quiſpiam poſſet, quod tutiùs, feliciùſque nonnulli Melicrato, vel Melle ſemper obtinendum putarunt; Intentis igitur auribus auſcultetur maximi Coorum interpres Maximus textum hunç lucidiſſimè commentaturus *, *Mulſa ergo, quæ aquoſior eſt, ſputum educit magis, Pulmonemque mollit*, nobiſcum hiſce alloquutus; *Mel in acutis morbis bileſcere, atque ob id nobis offerre moleſtiam antea dixi, aquam præterea tardè penetrare, atque in Hypochondrijs diutiùs morari, atque ob eas res fugiendam; At quod ex utriſque mixtum ſit conveniens redditur, quando ea conſtat tē peratura, qua Aquæ plurimæ* [animadvertantur illa *Aquæ* nempè *plurimæ* precioſiſſima verba] *tan-*

* in lib. de morb. acut. Com. 3. tex. 17.

tantùm mellis permiſtum fuerit, ut viam aquæ paret, & ad diſtributionem agat, ſcilicet his ita temperatis urinæ faciliùs penetrabunt, ocyuſque ſputum educetur, quod ſi mellis plurimum admiſtum fuerit, ſitim facit, & viſcoſum reddit ſputum, atque ob eas res aquoſior mulſa tum ad ſputi eductionem, tum ad penetrationem vrinarum idonea magis exiſtit; En igitur quanti etiam facienda ſit in ipſis Thoracis præter naturam affectionibus, Pulmoneque, ac Pleura inflammatis frigidę potio; En quomodò audiendus Hippocrates in ſuperiùs citato Opere de Morbis, cuius auctoritate pręmuniri ſcuto adeò impenetrabili hoſtes gloriabantur, ut acutiores omnes in illud retunderentur ſagittæ, iamque fractæ, atq; enerves humi iacerent citra cruorem.

Maximoperè medentium animos ad ſe allicit præceptum non minus acccuratè, quam neceſsè à Galeno traditum, neve ſemel repetitum in frigidæ exhibitione religioſiſſimè obſervandum, hiſce comprehenſum verbis, *Si tempeſtivè datur ab ea* (ſcilicet aqua) *febres protinus extingui videntur*, alijſque in libris cum ſcripſerit, *Nec defuere Medici, qui frigidam bibendam Nos imitantes præbuerunt, ſed nemo metam attigit, nam magna ſollicitudo habenda eſt in ijs, qui ita ſe habent, de frigidæ potionis menſura*;

Tempeſtivè igitur, magnaque ſollicitudine efficax aquæ medicamentum adhibere par eſt, & morbi tempus, & ægrotantis naturam, Cælum, modum, quale, quantum, regiones, & motus ante animo perpendentes, ſedulòque ſcrutantes, nam negocij huius qui ritè satagunt, non omni in febre curanda indiſtinctè ad potionem aquæ feruntur, cui ſi remedij maximi nomen Galenus impertiri non timuit, quod purganti dumtaxat Pharmaco, sanguiniſque miſſioni tribuerat, non minori equidèm animadverſione, ac ſi purgare, vel sanguinem educere velimus, in frigidæ potionibus porrigendis meherculè incedendum erit.

Hinc ſi Medicus fortaſsè aliquis in præſcribenda remedij huius materia, à recta, probaque ſecedat via, proindeque in aquarum culpam ægrotantis referatur excidium, ſibi ipſi, non medicamento alioquìn ſaluberrimo, neq; Medicis illud æqua lege exercentibus illudant, & imputent, non ſecùs ac Lyra licèt fidibus non ſoluta, ſed concinnè Chori inſtar ſe habens, ſi ab artem non callente pulſetur, adſtantium aures falsò ſonans offendit, eamque animus faſtiditam abhorret, verùm ſi ipſam peritus Orpheus tractet, dulces modulans concentus, eorumdem præcordia, & ſpiritus hilari ſuavitate perfundit

dit, ſed hominum plerique noſtra hac tempeſtate Medicorum forſan ſuaſibus adeò à frigidæ potu terrentur, ut meritò Psycrophobi à Galeno * appellentur, qui ſcilicet à rabioſo Cane demorſi in aquæ extremum incidere pauorem; Iure equidem de his vereri quis poſſet, ne in fontes illos incidiſſe ſe credant, de quibus Pithagoram Ovidius loquentem inducit,

„ *Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit*
„ *Viſcera.*

Quibus perſimiles Lithiaſi, (petrificandi ſcilicet facultate) donatos plurimos reperiri ex idoneorum teſtium fide Thomas Shirleus ** affirmat, inter quos Ioannem Petrum Fabrum *** Clariſſimus Henricus Mundy narrantem adducit propè Clermontiam in Arvernia è ſaxo quodam rivulum emanare, cuius aqua in lapidem vertitur, potu necat, & amphoris excepta, velut glacies eorum, figuras lapideſcens exprimit; Monaſterium Sancti Illidij irrigat rivulus olim Scateon, nunc Tiretaine dictus, ſuper quem Pons ex aqua petrificata extollitur; Sed cuinam Gorgoni prodigioſa hæc mutatio debetur? Obſcuram debilioribus noſtris potiùs oculis hanc libet fateri, quam in ſomnijs inſpexiſſe opinari Vel forſan Stygias vndas Alexandri morte

9. meth. med. 5. in lib. de nat. petr. de aq. pot.

infames, fabuliſque olìm notiſſimas adiviſſe expaveſcunt; quas in Arcadia ex Pheneo lacu propè Nonacrin montem ſi aliquis hauriat, adeò lethales experitur, ut omnimoda uaſa perrumpant; Quarum ſi vis corroſiva, quæ celebratur, vera ſit, cauſæ à Chimicis, rationeſque expetantur; Solis etenim ſalibus à natura caloris vi ſubterranei in mõtium cavernis tanta penetrabilitas primo oculorum obtutui adſcribenda videtur; Aut Salmacis Oppidi olìm, & Fontis Cariæ aquas iuxtà Halicarnaſſum Vrbem ſorbere timent, quę bibentes, inque ipſis lavantes molles, & obſcænos, atque effæminatos efficere exiſtimantur, de quibus Sulmonenſis *

„ *Cui non audita eſt obſcenæ Salmacis vnda?*

Forſan ne dulces, quas ſorbendas in febribus adhibemus aquas Lynceſtij fluminis credunt redolere naturam, quæ non minus ebrietatem inducunt; quam ſi vino ſe ingurgitaſſent? Vnde Vates ipſe occinebat

„ .... *qui hauſit,*

„ *Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.*

Non ſunt quæ frigidæ apud nos deguſtantur inſtar Æthyopiæ lacus aquarum, quas ſtatìm ac quis ebiberit aut Furore, aut Lethargo corripitur; Clitoris potius Arcadiæ Fontis æmulantur

* meth. 15.

tur naturam, quibus cordatè utentes, & iucunditate qua gaudent, & qua incolume corpus aſſervãt, animique motus componunt, adeò palatum alliciunt, ut vini pariant faſtidium, multoſque interdũ è merobibis prorſus reddãt abſtemios; De his meritò Sulmonẽſis quoque cãeret *
„ *Clitorio quicumque ſitim de Fonte levavit*,
„ *Vina fugit, gaudetque meris abſtemius vndis*,
ſenſus nimirùm, quibus vini delectatio perficitur, hebetando, eius omninò deſiderium obſcurat, quemadmodum & Xyris guſtata famem fallit, ciborumque tædium inducit; Non equidèm tanta Fluuios, Fonteſque, Lacuſque Medicorum aliqui abominatione proſequerentur, & odio, ſi in Naxo Inſula morarentur, vbi (Rhodigino ſcribente) vel quia Bacchus in ea creditur natus, quo nomine fertur Naxum nuncupari Dyoniſiam, licèt aptiùs ex vinearum fertilitate, ut ita appelletur magis Plinio placuerit **, nam & in ea Fons vino fluere traditur, eoque perdulci;

Sed quòuſque ſorbendæ frigidæ quantitatem extendere in febricitantibus expediat, nulli equidèm certo pondere, ſtataque menſura explorare licebit; *Eraſiſtratus quidèm in libro de febribus* [quemadmodũ ſcripſit Galenus ***] *malitiosè ſatis criminatur Hippocratem, diſcipulos illius propè ac-*

15. metã. lib. 4. c. 12. in lib. Hipp. de uict. rat. in morb. acut. cõ. 3. tex. 42.

accuſans Apollonium , & Dexippum, quos ait, cereos cyathos duodecim in ſextantali cotulæ cyatho effinxiſſe , atque unum ex illis, vel duos febrientibus admetiri ; Verùm Hippocrates non hìc ſolùm , ſed quoque in antedictis potionibus omnibus , copioſiùs, largiùſve manifeſtè uti viſus eſt, quod & in præſenti dictione liquidò oſtendit inquiens , In quibus maximè aqua vtendum ſit , & quando valdè multa; Nam & to carta pollo, to lian pollo, ideſt valdè, & ſupra modum multa ſignificat, ſed ſanè ſatis erat dicere, multam aliquando dari aquam ſine addictione adverbij huius Carta , in obſtentationem malitiæ Eraſiſtrati , qui de Apollonio , & Dexippo mentionem facit , nec ullum horum librum oſtendere poteſt, nec Hippocratem ipſum oſtendere poteſt apertè dicentem , & quando utendum valdè multa .

Ex quibus advocata in conſilium mente unuſquiſq; apprimè dignoſcet de quantitate ſorbendæ frigidæ ex natura febrium haud ſuſpicari poſſe Galenum, quoùſque impedimenta denegent, non avara manu præbere eam , nos auctoritate edocuiſſe , ac exemplo ; Sed quoniam hominum mens ubi primùm reproba etiam opinione intingitur, velle ſuum ſequitur ſolum, cæteraque poſt ſuum placitum ponit, difficillimum pluribus ſuadere , quin ? impoſſibile eſt, aqua liberali hauſtu tradita ægrotantes diriſſimè non

ne-

necari, utque ab illius uſu cognatos, familiareſque, tamquã ab infenſo hoſte defendant, modos omnes moliuntur aſſiduè, quos ſi aſſequi contingat, adeò gloriantur, & gaudent, ut ſublimi vertice Cælum tetigiſſe ſibimet videantur;

Verùm non ad aquæ vitium referenda hominum mors, sed ideò vel levi etiam afflatu homines moriuntur, quia mortales omnes inſtar aquæ vitam ſortiti ſunt; Non ex Medicorum Legibus hanc doctrinam didicimus, ſed altiori ſcaturigine, divinoque exordio ad nos uberrimè promanavit; Hinc poſtquam tria vitæ genera contemplatus fuit Cælius Rhodiginus * ſcripſit, *At cuius eſt in Lege Domini voluntas, quique in Lege illius meditabitur die, ac nocte, erit* [*ut inquit Eſdras*] *veluti lignum plantatum ſecùs aquarum decurſus*; Erit [*inquam*] *tamquam vitæ lignum, reliqui verò* [*nempè homines*] *nil aliud quam decurrentes aquæ, quo nomine* (Ex Divo Auguſtino) *mortale ſignificatur genus, quod in mortem fertur præceps, ſicuti aquæ pronus eſt in Mare delapſus*, unde illud Apoſtoli Ioannis, *Aquæ multæ, Populi multi*.

Silentibus Græcorum doctrinis, Arabum mòx præcepta auſcultemus, eorumque auxilio placi-

---

* antiq. lect. lib. 22. cap. 23.

cidè aquarum noſtrarum continentem ſtringamus; Princeps itaque eorum Avicenna * de univerſali intentione curandarum febrium putredinis agens ſcripſit; *Vbi autem materia aut calida, aut groſſa digeſta eſt, & corpus eſt carnoſum, & caliditas innata exuberans, & virtus est fortis, & viſcera ſana, & non frigida eorum complexio radicalis, & non inſueta aquæ frigidæ, immò aſſueta aquæ frigidæ valdè, tunc aqua frigida est melior res; Multoties enim adiuvat ad expellendum materiam cum ſolutione naturæ, aut per vomitum, aut per urinam, aut per ſudorem, aut per omnia illa, quare fit statìm ut ſanetur, & quandoque dat in potu Medicus de ea frigida infirmo quantitatē plurimam adeo, donec color eius fiat viridis, & tremat, quæ ſit ſaltem perveniens uſque ad Heminam unam, & dimidiam, & fortaſſe convertitur febris ad Phlegmaticam, & fortaſſè confortatur natura, & expellit materiam cum ſudore, & urina, & fluxu ventris, & eſt ſanitas;*

Verùm hoc Avicennæ monitum tunc afferendum in mediùm hoſtes noſtri arbitrantur, quando humor unde febris emerſerat præparatus iam fuerit, ac ſeiunctus, quod ſibi velle nitidè verba commonſtrant, *Vbi materia calida, aut groſſa iam digeſta eſt*; Fatemur & nos de aqua ve-

lib. 4. ſen. 1. tract. 2. cap. 4.

veluti purgativa Medicina ibì Præceptorē Regem eſſe loquutum; Sed nos (illis modò increpemus) qui eadem nequaquam utimini, omnique modo exhibitam reprobatis, qua ratione, qua auctoritate, quo experimento vobis id præſtare liceat, oſtendite, obſecro; Ne forſan à calore febrili fracta, & imbecilliora viſcera, extinctoque ferè domeſtico illorum igne iam torpeant, iam langueant? Pavorem hunc veſtris excutiat ab animis idem Auctor, eodemque in loco dum inquit, *& fortaſſè* (ex aqua ſcilicet) *confortatur natura*;

At omnis dubitandi eripitur anſa ipſo Arabum pleno annuente Lyceo non in febrium curandarum Legibus frigidæ potum (ſi penès Adverſarios unquam idoneus reperiatur) apparente dumtaxat coctionis exordio competere, ſed earumdem initijs, crudaque (utamur barbara hac voce) exiſtente materia; Auſcultetur ipſe Avicenna*; *Et ſcias quod Phlebotomia, & ſumere in potu aquam frigidam, quandoque excuſat ab infrigidatione alia*; Nonnè pariter in Gloſſa legimus, *Excuſat à regimine alio in cura febris ſanguinis*? Si igitur [paulisper ita ratiocinemur] ſi igitur aquæ frigidæ potio *ab alia infrigidatione excuſat*, tunc ipſam conſiderare pro-

T fectò

* lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 46.

fectò cogimus, utpotè Medicina ſit, quæ nocentes præparet ſuccos, non verò ut eoſdem expurget, ac proinde ſtatim ipſa vix febre gemmante ad illius uſum confugere ſuadentibus experimento, & tatione iamdudũ verſati Medici conſilium eſt;

Hanc præclaram febribus medendi viam ancipitibus patefecit Medicorum animis idem Auctor dum protulit*, *Et aquam frigidam in Tertianis damus, vt extinguat*; Ambagum hinc ſparſæ nebulæ diſſipentur; Non ergo vt materialem Tertianarum cauſam educat, ſed vt in illis æſtum compeſcat ardoris, primis nempè febrium initijs frigidam bibere ægrotantibus iucundè ſalutem, Medicis iure laudem impertitur; Ignem ſiquidèm extinguendi primum aggredimur opus, cineres verò exturbandi, dummodò *materia non turgeat*, poſtremum exequimur, ſi iureiurando ſancitis ritè curandi pręceptis obtẽperare velimus.

At perperàm iactamus verba, futilique oratione ſeneſcimus; Quid ultra quærimus? Quę clariora venamur? Compeſcantur lites; En obvia nobis difficultatum agmina diſſipans Avicennæ occurrit auctoritas de Peſtilentialium Febrium curatione tractantis **; *Et aqua frigida* plu-

---

* lib. 1. fen. 4. ſect. 1. cap. 2. ** lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 4.

plurima ſubitò eſt iuuativa valdè, pauca autem conſequenter exhibita fortaſsè excitat caliditatem.

Non tantùm itaque febribus, quas ſimpliciter putridas Medici appellant, nulla interpoſita mora orientibus aqua celeberrimè hauſta, opem affert iucundiſſimam, ſed illis etiam, quæ iniunctum peſtilentiæ venenum putredini continent, quæ à viroſa qualitate ſortiuntur originem, vnde etiam ferinæ indigitantur metahpora à Feris deſumpta non ſimplici, ſed virulento vulnere necantibus, nam ſcribente Aretęo *, *Infinita eorum, quæ homini inſunt, eamdem habent ſpeciem cum cauſis exterioribus; Corrumpentes ſucci ut extra ſic intra corpus reperiuntur, nec deſunt morbi pharmacis deleterijs aſſimiles, quandoquidem per febres talia ſæpenumerò euomuntur, qualia aſſumptis venenis reijci ſolent, quocircà haud immerito à quibuſdam æſtimatum eſt, in peſtilentia Athenienſi impura medicamenta in Piræi puteos à Pelopponenſibus fuiſſe coniecta; Homines enim peſtilentis morbi cum lethalibus medicamentis ſimilitudinem non callebant;* Sic anno Vrbis conditæ 420. à Matronis Romanis venenorum coctione peſtis Romæ fertur concitata, & apud Hippocratem ** dantur *succi corrumpentes & totum, & partem, & forinſecùs, & intrinſecùs, & ſpontanei, & non ſpontanei;* Fallun-

ib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 4. 1. de cauſ. & ſign. acut 7. lib. de alim.

luntur igitur qui eminentiſſimum cuiuſlibet qualitatis gradum veneni nomine donantes malignum morbum vocant ab eximia, ac extrema putredine prognatum, nos malignas febres, quà febres à putredine, quà malignas à veneno pendere cenſemus; Hinc de more quàm concinnè, quam doctè Clariſſimus Meniotius, *Verùm ex parte veneni, quo inſtructa eſt putredo, multo maior iterum animadvertitur etiam in ſimili febris ſpecie symptomatum diſparitas, illud enim non ſemper vnum, idemq; eſt, ſed nunc Arſenicale, nunc Viperinũ, nunc Napellinum, aut potius analogum, nunc ex pluribus mixtũ, nũc novellum, atque inauditũ, vnde non mirum ſi febres malignæ multiplici facie ſeſe mortalibus offerãt*

Hæc nos excurrentes libavimus, ut inde haurire aliquis poſſit, non tantùm aquas humectandi viribus, ac refrigerandi pollere, verùm Alexipharmaca poteſtate adverſus venena ipſiſmet febribus, quæ non infrequenter conſociata graſſantur, ſtrenue propugnent, & vincant.

Principis doctrinæ (vt unde diſceſſimus fauſto omine revertamur) Arabes ſui ferè omnes vnanimes ſubſcripſerunt; Proindeque Rhaſius Cauſone, & Tertiana continua febricitantibus frigidam exhibens, nec perfectam, nec manifeſtam expectat coctionem, ſed ardoribus febris

ex-

extinguendis primùm incumbens, dictatoria ferè imperat * maieſtate, *In potu ſumat æger aquam frigidam cum vult, & quod appetit de frugibus frigidis, & humidis*; Idque iterum hiſce non minus imperioſior de Synocho expreſſit ** , *Et ſi tardatur Phlebotomia in diſpoſitione ſua, ſtude ad dandum illi in potu aquam frigidam plurimam*; Pretioſiſſima hæc ſententia quam validiſſimo fulciatur munimine, & rationũ ſtipetur examine Averrois feliciſſimè his patefecit***; *Quando omnia particularia concordant cum febre, quæ eſt arſiua, & infirmus multum deſiderat aquam frigidam, non in hac eſt digeſtio expectanda, quia æger ante digeſtionem conſumetur, & ſi feceris ipſum pati uſque ad digeſtionis apparitionem, tunc erit ipſius digeſtio mala, quemadmodum est nebula nigra, aut hypoſtaſis nigra, propter nimietatem combustionis, & tunc aquæ frigidæ exhibitio non valebit, & propterea melius est in principio ſine etiam digestionis ſignorum apparitione exhibere, & non curare ex dictis aliquorum, quoniam hæc res est veraciſſimè probata, nam materia, quæ talem facit febrem, qualis eſt iſta, cum ſit in vltimo caliditatis, non est privata digestione niſi propter malam qualitatem acutam, non propter groſſitiem, nec propter viſcoſitatem, & quando hanc infrigidabis, tunc statim erit materia digesta,*

1. diuis. cap. 48. cap. 149. 3. coll. cap. 8.

geſta, & melius eſt vt convertas talem febrem ad febrem lentam, & longam, quæ curari poteſt, quam æger ſubitò moriatur; Enarratore forſan textus is indiget? Suboſcura ne verborum ſerie perſtingitur? Si queant hoſtes in controverſias vertant ſenſum, & phraſim;

Galenicis Arabes arriſiſſe præceptis haud aliquis in dubium vertere audeat, ſi illius hæc verba vel invitus ritè perlegerit *; *Ego enim talium quoque non paucis dedi, ſatius eſſe ratus Phlegmonas in præſens augere, quam ſinere hominem in Hecticam febrem incurrere.*

Illud equidèm ſumma animadverſione dignũ exiſtimamus, quod non ſemel prolatum à Medicinę parentibus, ſæpe ſæpiuſque repetitum ab ijſdem inuenimus, æſtiva ſcilicet tempeſtate tutiùs, iucundiùſque ad frigidæ potionem in eliminandis febribus confugiendum eſſe; Hinc apud Galenum de ſorbendæ aquæ tempore legimus **, *In æstate cum æstuat*, & alibì, *In æſtiuo anni tempore, ac regione calida*, Paulòque ſuperiùs, eodemque contextu ***, *In medio æstatis tempore*, Sole ſcilicet ſubardenti, vel ipſa latrante Canicula, quando

„ *Teſtilis, & rapido feſſis meſſoribus æstu*
„ *Allia, Serpillumque herbas contundit olentes*;

Cu-

10. meth. cap. 6. 3. de morb. uulg. tex. 15. Com. 4. aph. 5. tex. 21.

Cuius iucundiſſimæ Medicinæ uſum ex Salomonis ſapientia didicere myſtica oratione edocentis *, *Sicut frigus nivis in die meſſis, ita Legatus fidelis ei qui miſerit eum, animum ipſi requieſcere facit*; Eodemque in Opere in eamdem ſententiam addit, *Aqua frigida animæ ſitienti, & Nuntius bonus de terra longinqua*; Ex quibus eleganti ſimilitudine cum Galeno potus nive refrigerati morem, tempuſque illum febricitantibus exhibendi elicimus, nam phyſicè Anima pleriſque ipſamet reſpiratio vocatur, ſive qui reſpirando attrahitur ſpiritus, ac prſertim iuxtà Diogenis placitum in eo aere Animæ eſſentiam eſſe affirmantis; Quam nos reſpuentes ſententiam, quia tamen reſpiratione adeò vita ſervatur, ut vitam reſpirantem nos vivere omnibus compertum ſit, ipsã reſpirationem latiſſimo hoc fandi vocabulo Animam appellamus, & placidam anhelitus facilitatem quietis nomine audimus, undè Animam requieſcere nobis non aliud reſonet, præterquam liberam, nulloq; impedimento, & anguſtia coercitã reſpirationem, idque ſtrenuè, ac iucundè aſſequitur Medicus, dum igneum febis calorem potù frigidæ extinguit, atq; æſtuantia præcordia temperat ſuavi hac, potentique Medicina, præſertim *in die meſſis*.

Et

* Prouerb. 25.

Et qua, obſecro, vividiùs, concinniuſq; verborum elegantia exprimi poterat æſtivus calor, & labor, quam utrumque meſſis oneri, meſſorumque laſſitudini componere, ac ſiti? Ipſo etenim etiam Auctore Galeno *, *Opportunitas verò est* (frigidam nempè bibendi) *in æſtate; non quibusvis, ſed ijs tantùm, qui exercentur dare, ne ſcilicet æstu forti, & exercitatione inflammati in Cauſones* [ardentes ſcilicet febres] *incidant*, quarum generationem Hippocrates his antea edocuerat **, *Febris autem ardens fit, cum reſiccatæ venulæ tempore æſtivo acres, ac bilioſos ſuccos in ſe ipſas attrahunt.*

Cum itaque huiuſmodi ſit ardentium febrium geneſis, nulla conſtat ratione, nulloq; auxilio ab ijs præcaveri meliùs, tutiùſque evadere homines poſſe, quam eo tempore, quo ab illis corripi in diſcrimine ſunt, vel iam earum vexantur ardoribus, gelidam in potu exhibere, unde & venę refrigeratione temperentur, & ſpiritus (anhelitus nempè) qui ęſtu difficilior, citatiorq; efficitur, requieſcat.

Tunc enim ob membrorum ariditatem ſiti febrientes excruciantur reſiccato aeris appulſu vẽtriculi oſtio, qui velut ipſamet humidi egeſtas animalibus communis, atque plantis Pluvio Io-

* lib. de cid. bon. & mal. suc. ** lib. de rat. uict. in morb. acut.

Iovi ſupplicationibus, necnon etiam terræ Solibus peruſtæ, amicum imbrem expoſcunt, ſic patenti ore, exſucciſque faucibus ſorbere anhelant; Dum ignem altè demerſum in viſceribus præcludentes, qui ex alyſmo lingua nigra, & ſicca, ac reſpiratione anheloſa frigidum aerem pleno hauſtu intùs ducere, pavoremque fuliginoſum crebro afflatu foras emittere improbo adnituntur conatu, tanta miſerrimi torquentur ſiti, ut ſi unà ſimul bibere, & necari crederent, ipſos tamen mortis pavore, urgentior, atque imperioſior cogeret frigoris, humoriſque cupiditas;

O'terque quaterque felices, quibus in hiſce comburentis ignis anguſtijs rimoſo, aridoque labio cryſtallinis plenum aquis apponitur vas exſiccandum; Tantali fabuloſam extingui ſitim, gelidaſque inter limphas vitæ auras vagari iucundiſſimè teſtarentur, nihilque eorum invidere delicijs, quibus *Nuncius bonus de terra longinqua Animam requieſcere facit*.

Eximiam hanc ab anno animi tranquillitatem in cara Tibi Pratolini Villa adeò Sereniſſime Ferdinande expertus es, ut nulla expectati diù boni Nuncij gaudio felicitas gratioſior pectora noſtra perfundat, dum præ memorabili Viennę obſidione, tuum æquè Cor regium, ac pium

veluti Rector Navis, quem bini ſimul venti, unus hìnc, alter illhìnc pugnantes agunt inter ſpem, & metum crebrò ſubſilire ſentiebas; Et quoties in ancipiti ſorte Barbarorum victoriam, Fideliumque excidium mentis oculis viriliter intuebaris, corporis lacrymę tenerè diffluebant; Verebaris etenim ne Turcharum hoſtis animoſior Vrbem aggrederetur, aut ne audaciores Chriſtiani Duces deſcenderent in diſcrimina; Sarmatici Regis adventui dulce aliquid arridere ſubaudiens gaudio ſuſpirabas, moras præmeditãs quatiebaris timore; Incerta rerum ò quantum te angebat fortuna, nitidiſſimum prudentiæ tuę argumentum, quæ ętate etiam florida, ipſoque Vere gemmante iam fructibus onuſtos explicat ramos, quos in alijs raro vix maturat Autumnus; Hanc Criſtianę Reipublicæ comunem causam dum Tibi propriam addicebant Amor, & Pietas, manuſque interìm veluti inſperati triũphi ſignum extollens malorum rogabas levamina; Non Ruris amænitas, non Cæli nitor, non Aer moderatus, ac lenis frontem demulcebant, & animum; Non hoſpitales vmbræ, quę nec fervidos Solis æſtus timent, nec gelidos Aquilonis flatus; Non perennes aquarum excurſus, ſeu ſpontè ſalientes, ſeu rectis alveis, aut flexuoſis ductibus errones, & vagi, quibus nihil

amę-

amænius vel arte, aut natura elegantius inſpicimus, nec priſcis ſęculis invidemus quicquid de Theſſali Tempe, de Alcinoi, ac de Adonis Hortis fabulatur antiquitas; Non Platanus denſa ramis, opaca vmbra, aura modica, herba mollis æſtivo etiam tempore florere magiſtra, non ſuaviſonæ Aviculæ veluti modulatis canticis colloquentes hominibus tuam adeo alliciebant mentem, ut tanto deliciarum genere vel breviſſimè frueretur, ſed anxiarum cogitationum vndique veluti ſtipata globo hilarem, dulcemque ſibi nunquam repræſentabat imaginem.

Vrgentibus Tibi his anxio curis, & tam ingenti, atque oneroſa ærumnarum mole obruto, mærore omni ò quam repentè valentiùs gaudium acceſſit, unde non æqua lance Cor Tuum potuit tranſactas pænas, præſentemque emetiri lætitiam; Dum Polonorum Regis adventum, fugatum Thracem, Cæſaris Aulam obſidioni ſubductam temporis uno ferè momento, unoque vindice Deo, fidelis Nuncius certiorem Te reddidit; Neque omnes ſalutis aditus Chriſtianæ Europæ præcluſos eſſe, iterumque exurgere, ſeſeque erigere fortunam Auſtriæ clamavit. *Animamque tuam requiescere fecit*.

Inſtar igitur tuæ ex bono Nuncio ſitientium

ex frigidæ hauſtibus Animæ (vitales ſcilicet ſpiritus) quietem adipiſcuntur, qua nil cariùs, optabiliùſque ars, aut natura paravit;

Verùm de Aquæ Vſu Medico in Febribus, non quæ à nobis peroptabas robuſtioris doctrinæ momenta emerſerunt, ſed affaniæ futiles, nugęque pueriles, ut non mirum ſi nobis de ea humiliter pertractantibus ſilentium ſic à Vate imponatur

„ *Claudite iam rivos pueri, ſat prata biberunt.*

Interim hæc iuxtà Antiquorum placita, quę Lynceis oculis tuis obijcienda proponimus, ſi hilari fronte amplexaberis, adeò animoſiores nos reddes, ut recentiorum ſententias de febrium curatione, & natura, deque particularibus humani corporis morbis ſermonem inſtituentes è noſtro (inopi licèt) penu, curtaque ſupellectile aliquid afferemus in medium; Sique levandi animi gratia ab altiſſimis interdum curis cum Magnatibus tuis locos hoſce luſtrabis

„ *Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas*

in quibus nos vel propè limpidas fontium aquas, aut in pratis læta viriditate exultantibus placido Zephyri ſibilo, ſedentes rudes exarabamus has paginas, quæ ſi Tibi in ludo unquam præ manibus inſint benigniori Tuo indulgens genio, noſtrique non immemor intenſo illuc digito dicere non indignaberis, „ *Ibi*

„ . . . . . *Ibi hæc incondita ſolus*
„ *Montibus, & sylvis ſtudio iactabat inani,*

Erit illa rebus noſtris dies ſemper candida, neque ijs minus felix, quæ olìm numerabantur in Pharetra: Hinc inter aquarum fluctus, inſcitiæque noſtræ procellas nobis deſperatè iam naufragis, ab humanitate Tua [Clementiſſime Princeps] dari tabulam expectamus.

Ex Pratolini Villa Kalendis Sept. Anno MDCLXXXIV.

Sereniſs. Celſitudinis Tuæ

Humillimus Servus
Io: Andreas Moneglia.

Do-

Dominus Abbas Ludovicus Strozza Archidiaconus Florentiuus videre dignetur ſi in Opere iſto aliquid ſit contrarium Sanctæ Fidei, & bonis moribus & referat Dat. 14. *Auguſt.* 1684.

Alexander Puccius
Vic. Gen. Flor.

In hoc Tractatu de Aquæ Vſu Medico in Febribus præſertim doctiſſimi, & crudititiſſimi Viri Io. Andreæ Moniglia Med. Doct. nihil contra Catholicam Fidem, & illibatæ vitæ mores inveni, ita aſſero Aloyſius Strozza Archidiac. Flor. die 17. *Auguſt.* 1684.

Imprimat. ſerv. ſerv.

Alexander Puccus
Vic. Gen. Flor.

Dominus Io. Coſmus Villifranchi Doctor Phyſicus huius S. Offic. Flor. diligenter perlegat Tractatum hunc, De Aquæ uſu Medico, *Auctore Io. Andrea Moniglia, & in ſcriptis referat. Dat. ex Ædibus S. Offic. Flor. hac die* 21. *Aug.* 1684.

F. Cæſar Pallavicinus de Med. Ord. Min.
Conv. S. Franc. & Vic. Gen.
S. Offic. Flor.

Hanc eruditam ſanè, & elegantem Epiſtolicam Diſſertationem De Aquæ Vſu Medico in febribus præſertim *Excellentiſſ. D. Ioannis Andreę Moniglia infraſcriptus ſedula cura prout de mandato perlegi, nec quidquam in*

ipſa

ipſa, quod Orthodoxæ fidei, Chriſtianiſque moribus adverſetur animadverti; In quorum fidem &c. xij. Kal. Sept. Anno 1684.

Io. Coſmus Vjllifranchi
qui ſupra manu propr.

Imprim. hac die 22. Aug. 1684.

F. Cæſ. Pallavicinus Ord. Min. Conv.
Vic. Gen. S. Offic. Flor.

Robertus Pandolfinius Sen. S. M. D. Aud.

Reimpr.
Nicolaus Caſtellani V. G. F.

Reimpr.
Vic. Gen. S. Officij Florentiæ.

Reimpr.
Philippus Bonarota S. M. D. Aud.

Errata			Sic Corrige
pagina	uerſus		
11	4	Epidaurus	Epidaurius
11	26	præſtantius	præſtantibus
13	23	Dealcijs	Dealcis
22	27	1. de natura Deor.	2. de natura Deorum
26	27	l. 3. ca. 3. ca. 1	lib. 3. cap. 1
32	2	acrores	acriores
38	22	aſſerent	aſſerant
39	13	peruadatur	peruadatur ?
57	3	leuiſſimæ	leuiſſimæ &
59	5	genus uinoſum	genus poliforon uinoſum
69	24	illius	illis
77	11	uoluerint	uoluere
79	27	adu. gent. lib. 2. pag. 83.	qu. peripat. cap. 5 queſt. 4
117	1	ducis	ducis ?
119	16	feruntur	ferentur
130	25	exiſtimatione	exiſtimationē
132	19	manifeſtæ	manifeſtæ
136	7	Viridum	Viri dum
137	22	datur	detur
144	25	uerba	uerba illa
140	27	met. 151	met. 15.

CELER EXCVRSVS
IN LIBRVM
MAGNI HIPPOCRATIS
DE
DECENTI ORNATV

AVCTORE

IOANNE ANDREA
MONEGLIA
REGIÆ CELSITVDINIS
COSMI III
MAGNI HETRVRIÆ DVCIS
ARCHIATRO
Et in celeberrimo Piſarum Lyceo Medicinam
Practicam Ordinario loco edocente

FLORENTIÆ Apud Cæſarem de Bindis
Sub ſigno S. Bernardi. *Super. perm.* 1700.

TEXTVS

NOn ſine ratione faciunt, qui ſapientiam ad multa utilemeſſe prætēdunt. Sapiētiæ nomine intelligit Hippocrates earum ſcientiarum cognitionem, quæ ſimpliciter ad intellectum ſpectant, & quæ res tractant in abſtracto, nec ſenſibile ſubiectum habent, qualis eſt Grammatica, Mathematica, Scientia, Logica, Metaphiſica, Philoſophia Moralis, Ars Poetica; & in ſumma, quæcumque ad curioſitatem ſuperfluam, ut ipſe loquitur, inventa ſunt. Harum igitur ſcientiarum partes aſſumi poſſe ad uſum artium utilium aſſerit; quatenus haud parum artibus ipſis utilibus acquirendis, inveniendiſque, & ad earum uſum inſervire poſſunt, cuius eam rationem aſſignat, quia in illis non adeſt ocium, neq; malitia, per quæ omnes artes deſtituuntur; imo contrarium in illis viget, quod ad ipſas artes capeſſendas plurimum conducit. Vigilantia nempe, & mentis, intellectuſq; exercitatio, quam tanti iam fecit antiquitas, ut huius gratia iuvenes antequam utilibus ſcientijs applicarentur, in Mathematicis ſpeculationibus, & Logicis Diſputationibus, alijſque huiuſmodi ſcientijs diù exerceri procuraverint.

Huc uſq: loqutus eſt Doctiſſimus Proſper Martianus. * Cum multis abhinc annis mea etiam florente iuventa in Magni Hippocratis Librum de decenti Ornatu animum devoluiſſem, & oculum Divini illius Magiſtri altiſſima præcepta adeò in mente locàvi, ut non ſolum nepotibus meis, ſed & amicis patefacere adamaverim, inſtar apis hic atq: illic ſuaviſſimos florum ſuccos ad mellis illum inimitabilem humanę rationis ſaporem conficiendum delibantis de decenti ornatu opuſculum excucurri, ut curioſè ſatiùs, quam ſublimis doctrinæ gratia, faſciculum præceptionum ab ipſo Coorum maximo emanantium conſtruxi, ut qua data occaſione me audientibus exhiberem, & quis ſumma admiratione non percipit, quali cultu, quali reverētia erga ſuos Deos ſteterit, alioſq: ſtare cenſoria Maieſtate imperaverit, medicinam Sanitatis præſidem, ab Apolline, ab Æſculapio, nec non ab Hercule precibus, votiſq: omnibus expetendam inſinuans; quantę (obſecro) victimæ mactabantur in templo, quot maſcula thura fumabant ſuper altare Igeæ quæ veluti Numen ſanitatis impiè colebatur, quemadmodum in hymnis ſuis canebat Orpheus.

Verum ſi talia præſtitere Gentiles, nos in gremio

* in annotat. ad lib. Hip. de dec. Or.

mio Eccleſię Catholicę, Chriſtiq. Fidelium ſancto nomine inſigniti, ſuper quos fluxit Divina hęc ars altiori è parte, & non Apollinem, aut alium quempiam, ex Dijs, quos ſuperſtitio invexit, ſed verum, optimumque, rerum omnium opificem, ac parentem, auctorem primum, ac conditorem ſuum agnovit; quanto magis gratias agentes ante Sacras eius aras ſtare deberemus lacrymas effundèntes benevolentię, & amoris, cum neminem lateat, Medicinam Donum Dei eſſe, & a Deo omnem pendere? Præceptum monitumque alterum ſumma charitate patribus familias exhibet, nempe ut liberos ſuos, quos ad Medicam facultatem incumbere decrevit, Logicæ prius, Mathematicæ, Poeſi, & ſingulis huiſcemodi ſedulò teneriori ætate ſtudere conſulant, Vrſam ſimulantes, quæ mox ab ipſo partu informem fætum, dum mollis adhuc eſt, circumlambendo perficit, & effingit membra, omnem alias perditura operam, ſi indureſcere ſineret, ipſoſque librorum amænitate, et numero alliciat, nec obſtet quiſpiam auctoritate Senecæ obmunitus,* *Quo mihi innumerabiles libros, & bibliothecas, quarum Dominus vix tota vita ſua indices perlegit? onerat diſcentem turba, non inſtruit, multoq: ſatius eſt paucis te auctoribus tra-*

* De Tranquill. ani.

dere, quam errare per multos. Nonne animadvertit ibi Senecam ad Lucilium ſuum ſcribere ad Moralem Philoſophiam adipiſcendam, cuius beneficio animi tranquillitatem poſſidere totis viribus ſtudet? non ad hoc aſſequendum bonum libris pluribus egere, ſed paucis tantummodo; Medicos verò, Iuriſque prudentes opulentiſſima librorum ſupellectile donari ęque, utile, ac neceſſarium penès ſapientes censetur. Medicinæ profeſſor in bibliotheca variarum eruditionum, graviumque ſcientiarum voluminibus abunde ditata olitorem in viridario imitetur; qui ſuaviter redolentes flores à fructiferis arboribus gemino diſſidio diſcriminaverit, modo in unum, modo in alterum obtutum voluens proferat; hinc flores, hinc fructus lego. Et sane, quando animus laboribus, negocijſque defatigatus, fractuſque languet amicorum conſuetudine, Hiſtoriarum, Poematum lectione à menſa ęſtivis præſertim diebus refici poſcit, & recreari; Sublimioribus verò ſtudijs, & altiſſimis diſciplinis operam navet exoriente Aurora muſis amica, & cum placidum ventis ſtat mare, epulis non ſaturato ſtomaco, meroque fumante. Vinum etenim mentem noſtram perturbat, quippe in cerebrum crudos, & denſiſſimos vapores tranſmittit. Hinc fit ut multa effutiamus inania;

nihil

nihil autem conſideratè, nihil cum ratione agamus. Et profectò enerves ſpiritus quiete ad naturale robur reſtituere proficuum, immo neceſſarium eſt, ut magis expediti, magiſque alacres ad ſtudiorum facinora exurgant, quemadmodum Sulmonenſis eleganti exemplo cecinit.

Da requiem, requietus ager benè credita reddit

& Tullius auctoritate firmavit. *Cum diutius in eo negotio, curaque fueram, ut quieſcerem, curamque animi levarem, ad Carpinarium revertebar.*

Poeſim Medicinæ iniunctam multum utilitatis, & decoris eipræſtituram Divini Præceptoris Oracula tradiderunt, qua igitur vanitate demerſi medentium aliqui illis illudant, qui Poeticæ Arti ſtudent, eaque in morbis eliminandis prudentiſſimè utuntur, penitùs, penituſque ignoro; quin ſi aliquando in conſultationibus ornatus gratia Poeticam oſtentationem adhibent ſæviter accuſant, & reprehendunt. Si mihi Poetę nomen donaretur, non equidē indignarer, immo ipſum non mereri puderet. Illud autem iterum, iterumque ſciatis velim fabularum amantes Philoſophos ipſos extitiſſe, idque duplici de cauſa, tum quod fabulæ aliquid prę-ferant admirationis, tum etiam, quod ad veritatem nobis indicandam inventæ ſint; Philoſophis verò admirationem non ſecùs, ac veri-

tatem convenire, quem latet? Quamobrem Plato, & Ariſtoteles (ſi recentioris philoſophi obſervationibus fides ſit habenda) fabulas ſæpènùmero, & metaphoras uſurparunt, quibus veritatem vel exponerent, vel confirmarent.

Nonnè Ariſtoteles intellectivam hominis animam perpolitæ tabulæ comparavit, in qua nihil omnino ſcriptum ſit, omnia verò ſcribi poſſunt? Libello eam ſcripto ſimillimam Plato aſſerit, ſcriptoreſque nuncupat ſenſus; Quemadmodum eiuſdem Dialogus de ſummo bono, cui nomen etiam Philebus * oſtendit. Ex Ariſtotelis ſententia, deſiderium, aut amor in materia** naſcitur ex privatione formæ, vel boni. Idem à Platone indicari videmus in Convivio, ubi fabulam affert Amorem ex Paro, nempè rerum Abundantia, & Penia, ideſt rerum Caritate ortum habuiſſe. Hominis intellectum Divinarum rerum ſplendore ita perſcriptum aſſerit Ariſtoteles ut non eas in ſe ſtatim, ſed per ſenſibilium imagines comprehendat, eum comparans Veſpertilioni, qui non Solem, ſed Solis tantum in Luna reflexum poteſt intueri; non longè abeſt Plato, qui hominem fingit in tenebricoſo ſpecu ſic revinctum, ut non res, ſed rerum umbras inſpiciat, quemadmodum

Metaphis. lib. 2. 3. de Anim. tex. 14. de princip. Nat. lib 1 tex. 81.

modum videre eſt ſub initium*. Plura eorum philoſophorum libenter omitto, in quibus fabularum, & metaphorarum uſu veritatem ſæpiſſimè declaratam agnoſcimus, & miramur; Eos plane ſequi viſus eſt Ionnes Grammaticus, eos Alexander in Problematibus Amoris picturæ cauſas afferens, & conditiones, eos denique Moraliſſimus Cæbetes in divina illa tabulæ ſuæ deſcriptione. Ex hac tam illuſtri præſtantiſſimorũ virorum auctoritate, & exemplo licet arguere (quod aliàs etiam dixiſſe memini) Philoſophum, & Medicum minimè dedecere, ſi veterum Poetarum libris, ſtudioque delectentur, è quibus plurimam in eorum facultates utilitatem proficiſci compertum eſt. Maximus Tyrius, omneſque ferè Græci, Plutarchus verò præ cæteris Homeri Libros ſcientiarum fontes habuere pretioſiſſimos, & præclariſſimum illum Poetarum Principem probationis teſtem adducere graviores Philoſophi, egregiuſque noſter ille Inſtitutor Hippocrates non dubitarunt. Medicum, & Poetam eſſe non dedecet, quis enim ignorat miſterijs refertam antiquitatem Poetarum, æquè, ac Medicorum numen Apollinem coluiſſe, ut potè qui non modo ad hominum levamen Citharam module-

* Lib. 7. de Rep.

tur, & Plectrum; verum etiam in Parnaſſi iugo Dictamum, Panaceam, cæteraſque ſaluberrimas herbas ad hominum medelam colligat, & ſalutem? Damocrates Græcus Medicam non ſecùs, atque Poeticam Artem profeſſus eſt: Iambico carmine antidotorum opus præſcripſit, Clinicum item, & Pythicum, neque minore idcircò quod Poeta eſſet, honore, per Galenum eſt habitus, quin immo ex eiuſdem libris in ſuos Medicorum principem illum plura tranſtuliſſe remedia comperimus.

Nonne Poeta Ruffus noſter Epheſius Imperatori Traiano ſic dilectus, ut nihil addi poſſe videretur? Nonne Poeta Medicus Eudemus, cuius adhuc opus illud perlegitur Theriaca Antiochi Philomitoris? Nonne Poeta Andromacus, qui Theriacarum omnium præſtantiſſimam carmine expoſuit, eamdemque Principi Poetica lauro celeberrimo nuncupavit? Nonne Poeta Philo Tharſenſis, qui Antidotum ſuum eleganti ſic metro compoſuit, ut Galenus commentarijs illud exornare, fabulaſque omnes, quibus opus illud Poeticum ſimul, & Medicum ad concinnitatem ſcatebat, explanare minimè fuerit dedignatus. Verũ aliena quid ego emendicem exempla? Galenus Galenus inquam Poetica facultate non caruit, carmina cecinit ingenium

nium ſpirantia, & ſuavitatem. Quamquam auter in voluminum illorum lectitatione deſudaret, quæ Artis ſuæ profeſſores ante illum viventes ediderant, nihilominus tamen veteres Græciæ Poetas evoluere, ſingularique illos attentione luſtrare non prætermiſit; e quibus pulcherrimos collegit flores, qui Divina eiuſdem opera undequaque intertingunt, illud fortaſſe nobis oſtendens inamænam quamdam, inſuavemque aſperitatem a medici facultate, atque ingenio eſſe alienam. Quam longam hic illuſtrium virorum ſeriem, poſſē texere, de quibus utrùm Medici magis, an Vates eſſent Mundus potuit ambigere? Quis neſciat Pamphilum, Nicandrum, Æmilium, Macrum, Falſum Macrum, Q. Serenum Sammonicum, Q. Rennium Fannium, ſcholæ Salernitanæ Auctorem, Fracaſtorum, Gorreum, Hugonem Fridevalle, Ianum Cornarum? Quid dicam de Iulio Alexandrino, Adriano Iunio, Ioanne Cuſpiniano, Iulio Cæſare Scaligero, Henrico Smezio, Ioanne Sambuco? Si recentiores denique placeat recenſere, quam illuſtres floruerunt Æmilius Vezzoſius, Caſtor Durantes, Luſitanus noſter doctiſſimus, Adiunctus noſter, Hophmannus, Iacobus Bonzius, Meiobomius, Beverovicius, Oelzelinus, cæterique quamplurimi? Silentio reliquos

libet omittere, quos adhuc ſuperſtites Europa miratur & colit, a quibus novæ ſemper res antiquis ignotæ in lucem prodierunt; neque illud miretur aliquis tot, tamque glorioſa me hoc loco nomina commemoraſſe; Siquidem ea de cauſa libenter a me id effectum eſt, ut omnes intelligant, quam vera ſit Hiſpani Auctoris obſervatio, qui non modo aſſervit, verùm etiam Philoſophiæ argumentis demonſtravit, ex Medicis ijs omnibus, qui Arte præcellunt, Poetica neminem facultate deſtitui. Id autem ex imaginativę præſtantia contingit, quæ potiſſimum eſt Artis cuiuſque præſidium; Siquidem eius vi tum morbos, tum morborum origines faciliùs poſſunt agnoſcere. Imaginativa inſuper [inquit ille] remedij invenit occaſionem, quo debeant uti, qua in re practicæ munus pręcipuum ſitum eſſe ignorat nemo. Quamobrem occaſionis inventorem Galenus Medicum nuncupavit. Locum autem tempus, & occaſionem agnoſcere imaginativæ opus eſſe quis dubitet? dicit enim figuram, & correſpondentiam.

Anatomen ſimul cum Medicina natam, cumque ea adoleviſſe, eiuſque oculum eſſe, eiuſque integram cognitionem Medicis, & Philoſophis neceſſariam exiſtere, & feneſtram, quam Momus in humano corpore deſiderabat, ſapientibus

tibus exploratum eſt; huius ignarus quiſquis Medicinę Mare Vaſtum ſine velo, & gubernaculo naufragaturus excurrit; quare, ſi ſermo, quj de Anatome partium priùs inſtituitur, claritatem affert ijs, quæ de morbis, & affectionibus earumdem præter naturam pertractantur, perperam ſane, atque inconſultò ipſum omittentes ageremus, at conferre ſermonem de Anatome partium ad hiſtorias morborum nullus sanæ mentis negare auſus eſt, cum ſummus Medicinæ legiſlator præceperit * doctrinam in Medicina initium capere debere a natura corporis, & Galenus non ſemel docuerit cognitionem partium eſſe præijciendam jis, quæ de earum affectionibus diſſeruntur; Non enim putamus acceſſurum quempiam ad deliria Theſſalj, qui [eodem referente Galeno] ut Hippocrati, omnibusque antiquioribus Medicis contradiceret, & novam Medicorum ſectam conderet, pronunciare haud erubuit, non oportere Medicum de hominis natura curioſum eſſe. Quis enim tam excors, ut non putet cuilibet Artifici opportunam cognitionem ſubiecti, circa quod operari debet?

Peritiores ergo ſint Sutores, Zonarij, ęris, ferri, marmoriſque artifices, apud quos de natura

* lib. de loc. in hom. tex. 4.

tura illarum rerum, in quas agunt ſollicitior eſt cura; Medici præſtantiſſimi Artificum, & quibus hominum commiſſa eſt ſalus, noſcere ſuum ſubiectum negligènt, & temeraria circa ipſum operentur.

Homo ſiquidem cæterorum omnium Animal longè præſtantiſſimum, caduca, atque peritura parte una, immortali, ac ſempiterna altera, Animo ſcilicet, & Corpore conſtat. Animus Divina refulgens luce ille dumtaxat eſt, qui ab hiſce terrenis, & corruptibilibus nos ſeiungit, proximoſque, & affines omnium Parenti, ac Servatori Deo efficit, cum immunis ab interitu, atque in omni æuo duraturus præſtet, ut nunquam toti intereamus. Sęuiat mors in hoc concretum, terrenumque corpus, & ipſum in limine vitæ plerumque occupet, ius nullum habet in animum, qui à contagione ſenſuum liber, & à vinculis membrorum, carcereque corporis, (ut Divinus Plato ſentit) ſolutus emicat alacrior, puruſque, æthereis orbibus, unde prius emanarat ſe reddit. Quantum ergo eſt, quod ab Animo Divinæ auræ particula hominibus accedit, cum hic immortalibus, ſuperiſque ipſis nos terrea portione celerrimè perituros exęquet? Hinc fit, ut corporis bona, quibus etiam præ cęteris animantibus abundat homo, rectè ſentien-

tibus

tibus putentur ſordida, & vilia, ſi cum ijs, quę ab Animo inſeparabilia ſunt, componantur; Pulcra ſanæ, & admiranda, quę in exteriorem hominis fabricam elucent; ſed quantum, obſecro, pretioſiora, quę intùs latent, cum illa miſerè, caduca, & fragilia ſint, hæc perpetuò ſplendida, ac immortalia? Vnde, quid mirum, ſi idem Sapientiſſimus Plato totum hominem ex Animo metiretur, corpuſque eius tantummodò inſtrumentum, non noſtri conſtituentem partem cenſuerit?

Verum licèt animus ſit, quj ſolus ſpectari, & coli debeat in nobis, licèt fragilis, & fluxa corporis hmani ſpecies, ea tamen eſt, ac talis, quæ ſummam Divini Opificis Sapientiam, pronamque erga nos indulgentiſſimi Numinis benignitatem teſtetur.

Quid n. in corporea hominis ſtructura comperies, quod non ſit, & ad pulcritudinem, & ad neceſſitatem affabrè concinnatum? ſingula, quę in conspectum ſe se proferunt membra ſi luſtraveris oculis, hęc mirabilia, ſibi conſentientia, & compacta, opportuno ordine diſpoſita, eleganti figura condecorata dignoſces; Iam verò quantum afflat decoris ſurrecta corporis ſtatura! qua [ut ait Romani Parens eloquij] ad Cæli, quaſi domicilij priſtinj conſpectum meliori animan-

tium

tium omnium conditione excitamur?

Si etenim humanum corpus, Ægyptiorum more, in quatuor partes, Crura, Thoracem, Manus, & Caput diſtribueris, ſingulaſque attentiori acie conſideraveris, ſummam equidem in omnibus artificij elegantiam, & providi Artificis ſapientiam admiraberis: Conſpice primò Crura ad progrediendum data, ut eorum a trunco corporis delapſa, & latioribus toris valida longitudo, quo faciliùs onus corporis ſuſtineret, paulatim ſe ſe cogat, utque genua determinet, quorum decentes nodi flexuram pedibus ad gradiendum, ſedendumque aptiſſimam exhibent: Hinc, ut non æquali modo ducta, ne habitudo indecẽs deformaret pedes, ſed teretibus ſuris clementer extantibus, ſenſimque tenuatis deſcendat uſque ad plantas, quæ pulcherrimæ huius fabricę quoniam fundamenta ſunt, admirabilis, ſummuſque Faber nequaquam rotunda ſpecie, ne homo ſtare non poſſet, aut quadrupedum inſtar, alijs fulcris indigeret, ſed exporrectiores, longioresque efformavit, ut planitie ſua ſtabile, firmumque corpus efficerent, unde non iniuria plantarum ipſis nomen inditum fuit. Paulisper ex cruribus ad Thoracem [totum enim illud corporis ſpatium, quod a Claviculis ad pudenda eſt, cum veteribns Thoracis nomine

au-

audimus, obtutum eleves, occurrunt hic primò Genitalia vocata membra, quorum quis eſt, qui admirabilem vim non advertat, cum nos mortales, & caducos ſimilj ſpecie perpetuent, præſtentque, quemadmodum præcinuit Lucretius.

„ *Vt res per Veneris blanditum ſæcla propagent*

Altiùs pauliſper exurgit Abdomen molle ferè totum, & carneum, ut liberè contrahi, atque extendi poſſit, ac propè Vmbilicum leviter extuberans, partibuſque coctioni alimentorum dicatis ampliorem locum cedit: Hic Ilia a lateribus utrinque adſtant; Hic Lumbi, qui ab Anatomicorum quoque experientiſſimis libidinis decantantur ſedes, ex illis etenim egreſſi dicuntur homines, ijſdemque flagellatis ſopitus Veneris appetitus exurgit, ex quibus inde vicina irradiantur vaſa Spermatica, quemadmodum à Cerebro ſubiectæ ſibi partes inſita proprietate luminis æmula, & in ſacris paginis Iob de Dęmone ſic loquutus auditur, *Virtus eius in Lumbis, & in Vmbilico poteſtas*, qui pro Viri, Mulieriſque genitalibus à Divo etiam Hyeronimo uſurpantur; Hic Hypocondria, Hic Epigaſtrium; Quod ſi huius partes, tam quæ continent, quam, quæ continentur, intuſque

latent, animadvertere lubeat, has mira ſagacitate diſpoſitas, ac pulcro ordine cohærentes inveniemus, nam ut musculos, quibus tegitur, & ad excernenda excrementa iuvatur, Notharumque coſtarum, lumbalium, Vertebrarum, Oſſium Pubis, Ilij, ſacri, nexus omittamus, contenta Peritonæo, tanquam comuni quodam involucro, membra poſſunt ne aptiùs diſtribui, elegantius ordinari? Sub Præcordijs iacet medius, ciborum culina, Ventriculus, & ab eo diducta Inteſtinorum volumina tot anfractibus, atque Mæandris admiranda, proferuntur ad Anum, lacteique cremoris, ex quo ſanguis ſingularum partium nutrimentum conſtat, à ſuperfluo excremento, & extra corpus relegando, ſecretionem procurant.

Adſtant Ventriculi lateribus Lien, & Hepar, ille quidem à ſiniſtris, hoc a dexſtris, amboque munia circa alimentum corporis inſignia perficiunt. Poſteriori vero in parte Glandularum potiſſima, & Maxima, (Pancreas ſcilicet) non vulgaris hac noſtra tempeſtate officij, atquè utilitatis inhabitat; Cui varia adeo, ac præcipua munera permulti Anatomicorum adſcripſere, licet, à ſummo artis noſtræ dictatore, ne quidem nomine Pancreas

creas dignatus fuerit, quæ Clariſſimus Regnerus de Graaf luculenter enumeravit, ut alij tantum pulvinaris inſtar Ventriculo ſubſterni, & Vaſorum diſtributioni inſervire voluerint, alij Chylum ex inteſtinis admittere, alij eiuſdem recrementa purgare, alij fere Veſiculam Biliariam Lienis exiſtere, alij in eam ordinaria naturæ lege, craſſiores ſanguinis, & ineptas ſecerni particulas, alij ad Nervorum excrementum recipiendum, glandulam hanc efformatam eſſe, alij tandem in ea humorem non dumtaxat utilem, ſed maximè neceſſarium, ſegregari palam docuerint.

Sub geminis viſceribus accumbunt Renes, a quibus aquæ ductus ad Veſicam, quæ ciſterna aquoſi humoris eſt, & ſub Pube latet, emanant; supra Abdomen Pectus eſt, partim oſſibus munitum, ut quemadmodum ait Ariſtoteles, naturæ theſaurum, calidum ſcilicet innatum ſecurius contineret, partim carneum, ut pro reſpiratione ſe extenderet, homini latiſſimum, eo quod plurimum abundet caloris latè ſe ſe fundentis; Anterius Mammis, quibus Infantes enutrimur, extuberans, poſterius Dorſo; Tot Vertebris, Coſtis, Sterno Concinnatum Frenis ubi ſedem hilaritatis Plinius repoſuit; ac

proinde in prælijs, gladiatorumque ſpectaculis mortem cum riſu traiecta præcordia afferebant, eaque in parte uulneratum Thyconem riſiſſe narrat Hippocrates; ab ipſo Abdomine diſcretum, ac ſpirabilia viſcera continens, intro enim ipſum Pulmones, & Cor pręcipua corporis membra, quæ ſuis officijs vitam, & dant, & conſervant, & in quibus, ut cum Platone ſępius loquamur, Audacia, Metus, Fuga, Conſultores amentes ſedem quandoque posuere cum implacabili ſæpe Iracundia, Amor item intrepidus inuaſor blanda ſpe ſocia caſtra fixere; quæ ſi perverſa fuerint, voluptatem malorum ſeminarium, & dolorem proindè parem efficere conſueſcunt; Atſi Fortitudo ex adverſo omnium contemptrix, & bonæ mentis filia, Cupidinis, & Voluptatis iuſſa ſpreverit, animuſque forte pallore terrentium obiecto pertimuerit, sanguis, & ſpiritus venarum numerosam veluti ſtipatorum Regionẽ ad imperata ſubito accurrentem citat, tum celeriter metu diſcuſſo, ſua potentia animi Fortitudo utitur.

Pari modo ſi Iræ vis exardecens repentè permiſcet flagrantes æſtus, Pulmonum cum cavis fiſtulis ſpiritus reſpiratione crebra, ac refrigeratione Cor continuo temperat, unde Iracundia, alioquin implacabilis, facilè recedit; Quamo-

mobrem in hoſtes voluptates, ac cæteras animi perturbationes poteſtas data eſt ſapientibus, qui animi fortitudine, & corporis patientia libero marte eminus vibrata tela alacres excipiunt, & cominus in Cordis penetralia graviores Irę ictus, aut Odij propulſant inanes.

In his itaque partibus, iuxtà Divinum Platonem, Moralis Philoſophia verſatur, ac totum benè vivendi dogma in hiſce ſedibus continetur; Hinc læta felicitas originem ducit, hinc mortis terricula abiguntur, atque ad Divina Arcana mens ſublimis excitatur; Quod ſi præter præſtantiſſimos harum partium uſus, ſtructuram earumdem ſpectare voluerimus, occurrent ſtatim Pulmones, rara ſpongioſaque ſubſtantia, & queádmodum perbellè ſcripſit Aretheus, lanæ perſimili fiſtulis tamen quamplurimis diducta, quibus liberè excipere, atque alternatim emittere hauſtum ſpiritum valeant; Cor verò ſe ſe in conſpectum dabit denſum, compactum, fibrarumque plurimarum numeroſa, & admirabili ſimul ſerie conſtructum, quibus ad ſaltū promptiſſimè cieri poſſit, thalamis duobus intro cauum, a quibus ibidem reſtagnans ſanguinis æquor, flumina cæteras irrigantia partes immittit. Quamobrem neminem futurum putamus adeò hebetem, excordemque,

ut

ut Pectoris compaginem, ſive forinſecùs, ſive internè ſpectatam, non pulcherrimam, utiliſſimamque fateatur. Vtrinque a ſummitate laterum eiuſdem demittuntur Manus (hoc enim nomine totum id quod a ſcapulis, uſque ad extremos digitos eſt intelligimus) quibus Parentes, Filios, Coniuges, Affines, Propinquos, & cariſſima quæque dulcj amplexu teneamus, & licèt inermes geniti, omne armorum genus in totius Corporis propugnaculum earum ope comparemus; Hinc vel diſertiſſimè ſcripſit Galenus.* Quod homo ſicut corpus armis nudum, ità & animam artibus deſtitutam habet, proque corporis nuditate manus, pro animi inertia rationem accepit, quorum uſu ſtrenuè corpus quidem armat, & modis omnibus ingenioſè cuſtodit: Quin? omnium maximè Manũ commendavit Ariſtoteles, dum ipſe velut organum quoddam ante omnia organa dixit, mãus enim quamuis nullum ſit eorum, quæ particularia ſunt organa, quoniam autem omnia recte poteſt recipere, organũ eſt ante omnia organa; à manu proinde hominis, quæ admiranda opera profecta ſunt? omittamus magnificas ædium ſtructuras, ac tecta domorum Cælum referentia ſplendidè intextas veſtes, marmora adeò expolita, & expreſſa, ut loqui-

Lib. 1. de uſu Part. cap. 4.

loqui, ac ſpirare videantur; Nonne admiremur neceſſe eſt Architæ Tarentini ligneā Columbam verarū aviū volatū emētitā? Zeuſis uuas ita coloribus expreſſas, quarum turgere aliæ, primulo nonnullæ matureſcere nigrore, acerbæ quædā, florentes, aliquę adeo viuidæ videbantur, ut aves ipſas deceperint? Apellis equum, ad quem prętereuntes equæ hinnirent, Archimedis sphæram, aliaq; perplura, quæ manus hominis fuſè, induſtrièque perfecit?

Verùm proindè illud, quod idem Galenus, eodemque in opere ſcripſit, ut ſapientiſſimum Animantium eſt homo, ità pariter, & manus ſunt organa ſapienti Animali convenientia; non enim quia manus habuit, propterea eſt Animal ſapientiſſimum, ut Anaxagoras opinabatur, ſed quia ſapientiſſimum erat, propter hoc manus habuit, ut rectiſſimè Ariſtoteles cenſuit; Quod ſi totam manum in ſuas partes, Humerum ſcilicet, Cubitū, extremamque Manum diviſeris, admirabile in ſingulis aliquod ſemper comperies; Conſpice Brachij prominentem illam ſummitatem, ut elegans, ut decens ſit, & ſub eamdem ſinus, quos Axillas vocant; Conſpice flexile Cubitum, ut duobus oſſibus, Radio ſcilicet, & Vlna deſcendat, Muſculiſque, quibus digitorum manus motus perficiuntur, de-

center turgeat; Conſpice extremam manum ipſam, admirandamque digitorum ſtructuram, cuius an ſit venuſtas, an emolumentorum amplitudo maior ignorabis; Conſpice maximum in numero decus, maximum in gradibus, ac ſerie, Digitorum facilem contractionem, non minus ex commiſſurarum mollitie, & concinnitate protenſionem; Cęterum quamvis ſingulæ corporis noſtri partes mirabili quadam Arte conſtructæ ſint, nullamque earum ſapientiſſima natura impolitam, atque illaboratam, aut ſine Rhythmo, & lepore reliquerit, præſtantiſſimam tamen omnium humanum corpus componentium, ac ſummi, optimique Opificis Dei præferentem effigiem Caput exiſtere, ſublimioremque in hac admirabili membrorum compagine ſedem occupare, ſtrenuèque ac cor ipſum viſcerum Reipublicæ regia dignitate præeſſe, quis vel invito etiam animo non fatetur? Hoc mentis ſacrarium, ac divini ſeminis vaſculum Timæus Platonicus appellavit, cui tanquam Conſultori cætera famulantur membra, ac veluti numen ſervili circumferunt geſtamine, quod cenſoria quadam poteſtate, ut collibuerit, omnia diſponit, & dirigit; Huius divinitatem repræſentantes veteres Ægyptij ſimulacro Serapidis ſpecie humana

Cęlum pro Capite impoſuerunt; Hinc ſummus Medicinæ legiſlator in Epiſtolis ſuis protulit; *Hanc mentis arcem inahabitant Artes, Virtutumque genus, Dij, Dæmones, Conſilia, & Sententiæ illaque in regione magnus polus*; Idem ſenſiſſe Platonem in Dialogo de Iuſto ſcribentem legimus; *Dij figuram Capitis ad rotunditatem Mundi finxere, in eoque duos illos animæ Divinos Circulos ſtatuerunt.*

Age verò quanta ineſt ſpecies, & pulcritudo in capite? Aſpiciamus celſiſſimum ipſius verticem, culmenque ſpeſtabilis huius ędificij, ut decenter contegatur pilis demiſſis, aut criſpis, nigris, fuſcis, flavis, rubentibus, quibus varia propendet Cæſaries, non capitis tutela tantum, ſed ornatus gratia a mulieribus præſertim nimio opere, ſtrenuaque ſedulitate concinnanda. Audivere mehercule Apuleium hiſce loqutum. Mulier etiam venuſtiſſima, ſi capillitio nudetur, quamuis Cælo deiecta, Marj edita, fluctibus educata, licèt inquam Venus ipſa, omnj Gratiarum Choro, Cupidinumque populo ſtipata, Balteo cincta, Cinnama fragrans, & balſama rorans, ſi calva proceſſerit, placere non poterit ne Vulcano quidem ſuo. Hinc galericolum ex alieno Capillo conſulunt ad velandam caluitij deformitatem; Hinc Coſmotica medicamenta,

D ſive

ſive ab Archigene compoſita, ſive a Galeno recenſita, ac pretioſiſſima unguenta ad illorum culturam excogitavit officioſa nimis Medicorum induſtria, de quibus Martialis.

„ *Non erubeſcit murice aureo nobis*

„ *Dividere Mœchæ pauperis capillare*

Hinc mos vetus erat, ut in ſupplicijs Matronæ paſſis Crinibus Templa verrerent, adeo ut, quæ inter molliores delicias enutriebantur comæ, vileſcerent in ludibrium, ſic Livius * Matres crinibus templa verrentes veniam irarum Cæleſtium expoſcunt, ſic & Atalantam Dianæ Altare adituram conqueſtam** Papinius cecinit.

Illam Diva ferox etiam num in limine ſacro

„ *Expoſitam, & gelidas verrentem crinibus auras*

„ *linquit.*

Hinc apud Græcos, Romanoſque ſapientes Puerorum, & Virginum comæ numinum alicui conſecrabantur, vetuſtiſſimumque ritum Achillis exemplo confirmavit Homerus, Theſei Plutarchus, atque Earinus Domitianj libertus, iam formæ gratia languente crines dicat Æſculapio Pergameo, de quo Statius. ***

„ *Ite comæ facilemque precor tranſcurrite Pontum*

„ *Ite*

* lib. 3. ** 9. Theb. *** 3. Sylvar.

„ *Ite coronato recubantes molliter auro.*

Aſpiciamus faciem admirabilem ſanè hominum partem, quam ſolj inter cætera omnia Animantia obtinēt, & cuius varietate, tam pulcris notis invicem diſtinguntur; Hic ſe ſe explicat frons Triſtitiæ, Hilaritatis, Clementiæ, Severitatis index; Hic prominent ſupercilia piloſa propugnacula pretioſiſſimarū in corpore partiū; Hic nitent oculi naturæ lucidiſſima ſpecula, ſidera parvi noſtrj Orbis, membra præ cæteris omnibus cariſſima, quæ nos in dias luminis auras perduxere, & quæ(aſſerente Plinio)dulciſſimo lucis uſu vitam a tenebris, morteque diſcernunt. Scitiſſime igitur Stoicj viſum Dei appellatione honeſtare non verebantur, quemadmodum Theophraſtus formam appellare auſus eſt, illo namque exuta facies (Calcidius iniquit) evadit informis; Sique oculos Doricj vocabant Optilos, unde Optiletis Minerva, merito eidem monumentum excuſſi ab Alcandro oculi templum erexit Lycurgus.

Hic nares adſunt ſcitiſſima ratione, ac peculiarj in ſublimi poſitæ, cum ea odorum natura ſit, ut ſuperna petant, ornamentum non mediocre faciei, adeò, ut olim apud Ægyptios mulieres in adulterio deprehenſæ earum amputatione mulctarentur, qua perpetuò ob fla-

gitij pænam deformes viverent; Hiat hic labijs diſſectum os, animi veſtibulum, ianua Orationis, cogitationum comitium, dentiumque valido ſepto, ac munimine occludit linguam, incomparabile Dei donum, & in quo infinita bonitas inextimabili munificentia nos veluti legitimos filios eſt amplexata, hæc etenim guſtus index, hæc fons ſermonis, & Dux, hæc eloquentiæ parens, qua (veluti Tullius inquit) cohortamur, perſuademus, perterritos a timore obducimus, geſtientes comprimimus, cupiditates, iraſque reſtinguimus; Hæc nos Iuris, Legum, Vrbium ſocietate devinxit, hæc a vita immani, ac fera, qua belluarum more utebantur principio homines ſegregavit, tum ne mutuis cædibus interirent, tum ne rapinæ fierent, & iniuriæ, ſed Iuſtitia violentiam coerceret; Primus itaque noſter, & univerſi huius ortus a Deo eſt, vitæ quoque conſervatio, Artes, leges, & quod mortales cum ſimus, immortalitatem per partes ſucceſſione imitemur. Hic ſub ore pars illa eſt, quam Latini Mentum dicunt, in qua viris luxuriat barba, maturitatis, ac ſexus diſcerniculum, virilitatis, ac roboris argumentum; Hic protuberant Malæ, Genæque ſanguine dulce rubentes, & quæ primo in Maribus veluti iuventæ flore pilis veſtiun-

ſtiuntur; in fæminis verò ad gratiam, amoremque conciliandum glabræ, ac depiles perpetuò ſunt; Hic demum a lateribus eminent aures, nobile auditus organum, ac percipiendæ diſciplinæ ſenſorium, quo dulci vocum, cantuſque vario modulamine admirabiliter afficimur; Harum ſiquidem beneficio Muſicam, ſi veram expendamus, atque legitimam, [cum Rodigino loquimur] univerſis hominibus conferre plurimum conſtans benè ſentientium opinio eſt. Apud Arcades Muſicam neſcire nemo potuit, omnis, quia neceſſariò didicit; Hæc autem non deliciarum, non laſciviæ cauſa, ſenſus, mentemque oblectetur, ſed labores, aſſiduos, ac vitæ pariter duritiem, & aſperitatem, animique mores auſteros, ac triſtes perturbationes certa quaſi dulcedine remolliat, atque contemperet, Duces interdum ſtrenuos reddat, & ad fortitudinē erigat; hinc memorię proditū eſt Thimoteum Muſicum, ubi in Convivio Cytharam apud Macedonem Alexandrum pulſaret, adeo Regis animum inflammaſſe, ut ad capienda arma è genialibus epulis ſurgeret, deinde cum ab illa tam acri chordarum tractatione ad leniores modos deveniſſet, iterum Alexander accubuit, quemadmodum in libro de tibicinibus Scripſit Ariſtoxenus. Sed iam Minervæ templum ingredimur

ſacraſ-

ſacraſque ædes, in quibus delapſa Cælo noſtri pars immortalis inhabitat ſedulo perluſtrandas ſubimus, ſed o quali, quantoque ſagacis naturæ artificio, Divinique Architecti molimine has fabrefactas intuebimur? Quæ Singulas humani corporis particulas, tam affabre extruxit, ſumma elegantia concinnavit; putamus ne non maiorj diligentia effinxiſſe atria, regaleſque ſedes, quibus animum divinum hoſpitem reciperet? nullibj compertum eſt maiorem, quam in cerebri fabrica illius induſtriã extitiſſe, cũ tot diverſiſque partibus ipſum conſtituerit, circumduxerit in labirinthos, ſuſpenderit in fornices, laxaverit in ſinus; non mirum inde, ſi diſſectoriæ Artis peritiſſimi præcipuum hoc circa membrum plurimum impendant operis, ac diligenter ſublime hoc nobis thalamum pervigilj cultro reſerare procurent; O Theſſale, Theſſalique ſẽtentiæ propugnatores, ſi veſtris deliramentis ſagacior poſteritas aſſenſum præſtitiſſet ad tantæ dignitatis faſtigium verenda hæc Ars non per veniſſet, immò non ſolum longè a Romanorum finibus & domina terrarum Vrbè, verum etiam a toto Orbe exibilata exularet, ſed in hoſce inſipientiſſimos homines non eſt cur ampliùs invehamur, & opiniones abſurdas, monſtriſque, portentiſque ſimiles è limitibus Medicinę arcere pauperie ſermonis

noſtri

noſtri conemur, cum eaſdem adverſus felix Pergameni facundia, & torrens illa dicendi copia ſatis, ſatiſque tonuerit. Verùm caveant, obſecro, Medici illi diſſectoria Arte, leniter dumtaxat ſuperficie incruſtati, ne de illa ab ambitione prolecti ſeriò diſſerere audeant, ac ſi viſcerum latebras, & corporum penetralia adeo perluſtraſſent, ut Alcmeoni Philoſopho, eiuſque nepotibus hucuſque florentibus nihil cederent, nam in foveam illam inciderent, in qua merſi Neoterici quidam adhuc in ipſa immorantur, qui dum præ manibus haberent aureum præſtantiſſimi Varoli Anatomici Bononienſis librum, in quo mirificè edocet ſubijciendo Anatomi cerebro, inverſè locandum eſſe (præclarum equidem inventum) cum eo uſque à ſuperiori parte imam verſus ſecaretur; occaſione quadam ſcripſerunt inverſè ſecandum eſſe caput, vice ſcribendi inverſè ſecandum eſſe cerebrum, non diſcriminantes a continente contentum; caput enim appellatur id totum, quod collo ſuperimpoſitum prima vertebra terminatur, quo ſignificatu utimur, cum alicuius caput abſcindimus, quemadmodum Galenus *, nam in capite continentur oculi, naſus, aures, lingua, & omne id, quod enumeravit Thomas ** Barto-

* 3.lib.de pl.Hip.& Plat.cap.8. ** 3.lib.de cap.cō. in lib.2.Gal.de oſs.cap.8.

Bartolinus, eique ſubſcripſerunt Ioannes ***Riolanus iunior Iſbrandus ****, cæterique omnes Anatomiam profitentes. Specioſum equidem foret, & peregrinum Anatomi ſubijcere, oculos, linguam, naſum, & aures inverſoſitu a quo eos ſagax natura locavit, & in quo propria munera exercent.

Vtinam non perſiſtant aliqui ex medentium agmine, qui procul dubio credant non unum dumtaxat cor in animantibus aliquando repeririri, verum etiam bina, Plinij teſtimonio ſuaſi ſcribentis, duo Perdicibus in Paphlagonia corda ineſſe: Ridiculum ſanè in rebus Medicis commentum, nam quamvis exta quædam alia, ut Lien, & Hepar [referente Ariſtotele alijſque celebratiſſimis viris] gemina eviſceratoribus apparuerint, cor perpetuò in animantibus unum fuit, ea ſcilicet ratione, quam ex Homero retulit idem Peripateticorum Princeps.

„ *Haud multos regnare bonum eſt Rex unicus eſto.*

Decet enim in benè inſtituta Reipublicæ adminiſtratione unum eſſe, qui Imperij habenas regat, alijs omnibus Maieſtate præſit, & cum in noſtro corpore quod varia, ac mirabili partium diverſitate Reipublicæ non iniuria quis compoſuerit tale cor à Philoſophis putetur,

3. lib. de ſupremo ven. cap. 10.

tur, ipſum multiplicari iuxta eorum ſententiam nunquam potuit; & quamvis ſcribat Plinius in Paphlagonia bina perdicibus corda ineſſe, in his avibus minus commoda dexſteri ſinus cum ſiniſtro agglutinatio, atque propria circumſcriptio, viſceris huius ſubſtantiam in duos apices diſtrahendo gemini cordis ſpeciem exhibuit. Hoc enim contigiſſe viro cuidam in Galli corde Galenus * retulit his verbis. *Gallum quiſpiam Dijs ſacrificans cor invenit duobus faſtigiatum verticibus, deinde ratus id eſſe augurium huius interpretes diſquirebat, Caſu autem in me incidens, duo in uno animante Corda, cum Dijs ſacrificaret, ſe inveniſſe dixit, atqui duo non erant, ut arbitrabatur ſed dexteri ventriculi vertex peculiarem circumſcriptionem habebat*; Natura igitur non niſi unum cor animantibus indulsit, ipſum tamen nunquam deeſſe voluit. Qui igitur Labyrintum ingrediuntur, cui Anatomes concinnè comparatur ſine fili glomere ab Arianna recepto, cuius nomine Sapientia obvelatur, perpetuo egredientur ingloriè; Vnde Divini Magiſtri præceptum inviolabile penes ipſos ſit, *Breviloquentia*; ſatis enim ſcit, qui non ſcit, tacere ſi ſcit.

Mathematicam Medicinæ opitulari quis deneget? cum de apta, & concinna membrorum

E collo-

* lib. 3. de adminiſtrat. Anatom. cap. 11.

collocatione, decenti figura, æquabili proportione decernat; multaque in re Medica vix mente comprehenſibilia evidenti demonſtratione dilucidet; O terque, quaterque Beatus Artis noſtræ Profeſſor hac facultate exornatus; ſed non adeo de ſe eminenter ſentire velim, ut Principes Mathematicos inculpet, & corrigat; unde conqueritur clariſſimus Ioannes Alphonſus Borellus, qui propoſitionem ducenteſimam quadrageſimam quartam, in libro de motionibus naturalibus a gravitate pendentibus ueriſſimam eſſe, dum aſtruit oppugnatores invenit, qui enim illam arguunt ex eo, quod corpus deſcendens in aere habeat eamdem reſiſtentiam in principio motus, & in progreſſu, decipiuntur; ſiquidem non eadem eſt reſiſtentia, quo magis enim velocior eſt motus, eo maior eſt reſiſtentia aeris, & aliorum corporum fluidorum, quod experimento etiam comprobatur, cum enim virga aerem verberamus veloci ictu, tremor quidam exoritur, qui non exauditur, ſi lentè admodum aerem percutiamus; patet id luculentius in aqua, in quam ſi oblique ſaxa veloci ictu iaciamus, reſiliunt ter, aut quater, veluti pila luſoria, cum in terram delabitur, ſecus autem evenire videmus, cum eadem ſaxa oblique lento motu in ipſam aquam proijciamus. Ita Na-

vis,

vis, quæ remis agitur, ex primo remorum ictu movetur,& quamdam velocitatem curſus acquirit; quæ augetur deinde magis, magiſque ex cæteris remorum ictibus, quo uſque eò creſcat velocitas, ut a maiori reſiſtentia aquæ motus navis reddatur æquabilis; nam, & in hoc caſu adeſt in principio motus navis, reſiſtentia aquę, ſed tamen multo minor illa, quam invenit navis, cum velociori motu cietur. Ex quo liquido patet ex hac difficultate [nempe, quod corpus mobile habeat eamdē reſiſtentiam in principio,& in progreſu motus]nihil infirmari demonſtrationem doctiſſimi Borelli, quoniam & ſi ſemper adſit reſiſtentia, tamen in principio motus eſt minor , & deinde ſemper augetur , quo uſque augeatur motus, & æquabilis reddatur. Hęc pauca, & mihi incognita celeberrimi pręceptoris, ac beneficentiſſimi amici in obſequiū ſatis eſſe confidimus, nam in tot voluminibus, tantis ſcientiarum momentis illuſtribus , ſi minimum (quod non conceditur) non integrè periclitatum exaraſſet, largo etiam iure proferre poſſet , æternæ beatorum mentes à vinculis, carcereque corporis iam ſolutæ, omnia ritè dignoſcunt, & peragunt, nos in cognitione noſtra ſæpiùs allucinamur, & præcipientes, aut adiſcentes à veritate deficimus.

T E X T V S.

Etiam ex diſputationibus nihil utile ſpectantibus.

Nihil utile afferentes diſputationes, affanias, nugaſque eſſe, quis, vel excors vertit in dubium? Magni verò ponderis, & momenti, clarioris doctrinæ, & ſcientiarum altrices, quis vel invito etiam animo non fateatur? Circulus, & calamus pariunt viros, veritatis enim amantes, eam ſedulò inquirentes, labore improbo inſudant Sterilia, quævis hominum ingenia, denſaque inſcitiæ caligine merſa, ancipitum rerum certamine, lucem, & fæcunditatem acquirunt. Quemadmodum metalla igne, malleo, & ſcalpro omnia domari poſſunt, & in tenuiſſimas duci laminas; Nullum prorſus ingenium eſt adeò durum, in quo cura, & ęmulatio non promoveant aliquid, dummodo tranquillo, pacatoque animo controverſias agant, & inſanabile non teneat illos ſcribendi cacoethes, neque de illis reſonet.

Ora tument ira, turgeſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſævius angue micant.

Neque adverſus Antagoniſtam acrior ferveat in præcordijs ira, quæ mentem obcęcat, atque perturbat, unde fit, ut irati multa effutiant

ant inania, nihil conſideratè, nihil cum ratione, parum addiſcentes, minus prçcipientes.

Graviſſimorum hominum controverſias mente, oculiſque perluſtrans, aliquid didiciſſe confiteor, pluraque alia, me aſſequturum ſperaſſem, ni ingenij mei tenuitas obſtitiſſet. Quid prodeſt, obſecro, Medicinam profitentibus acerrimè expiſcare, quibus nam ſalibus Villæ aqua in agro Lucenſi admirabili ſcaturigine ſurgens prçdita ſit? quibuſue morbis proſit, ſi ægroto alicui iuxta artis leges, integraque methodo præſcripta, intus viſcera ebibentis per plures dies adeò immoretur, ut ne guttula ſecedat, diſputare tamen volunt, utrum aquæ iſtius continuandus ſit uſus? certantes, æquum iudicem habeant Hippocratem, qui litem tam futilem, atque aeream dirimet, ſententiamque hac verborum ſerie proferet *. *Ita pariter ſi in præcordijs obſtructione detentis, ac in flammatis, aqua digeſtu difficilis, ſine exitu diù deſideat, corrumpitur, & in bilem præſertim porraceam faceſſit.* Vnde ſole clarius effulget, diſputationem hanc, tanquam nihil utile ſpectantem, prorſuſque erubeſcentem reijciendam; nõ ſatis eſt, quod medicamenta indicentur, ſed operæ pretium eſt, ut impedimenta tollantur, quæ illa exequi non permit-

* Lib. de aer. aqu. & loc.

mittunt; Sed neſcio, quo malo omine, quave cauſa, quoties de aquis Villenſibus negocium faceſſo, in calamitatem aliquam ſemper incurram, ſi Aſtrologiæ crederem, malignos Aſtrorum influxus libentiſſimè incuſarem; nonne fuit qui advèrſus ſententiam meam de actuali calore Villenſis aquæ, quem a ſubterraneis ignibus ſortiri adſtruebã, ſcripſit, illas non ab huiuſmodi ignibus, ſed à ſolis calore obtinere, unde ad leniter meum firmandum placitum ratiociniis hiſce inſurrexi; Si ſol actu minerales aquas calefacit, qua ratione eumdem ſervant caliditatis tenorem hyeme, & æſtate, mediaque in nocte, ac in æſtivis diebus? Immò cur hyemali tempore calidiores, quam æſtivo perſentiuntur? ſique ſol tantis viribus pollet, ut radiis remotiora terræ viſcera invadat, intùſque ipſa thermales aquas adeò calefaciat, ut earum nonnullæ ebullientes erũpant in arva, cur dum ſicciores refert dies, robur non habet eodem gradu calefaciendi (non inquam) Volſinium, Feronium lacum, Liburnique mare; quin, nec foſſulas Civitatum; qua ratione Æthiopicas paludes, & maria ſub Zona torrida feruere non cogit, quæ nullo umbrarum tegmine ab æſtuanti face defenduntur, cur, obſecro, iſte ſol tot aquas ſulphureas, ac bitu-

bituminoſas ſenſui frigidas apparentes non calefacit? tales in Lacu Vadimonis ſervantur, tales in territorio Latino propè uetuſtam Ardeam, tales in arvis Tigurinis. Quem latet ſulphureas Cydni undas læthali morbo celebres, quo ob actualem algorem correptus Macedo Alexander fuit, cum captus Cydni fluminis amænitate per mediam Vrbem influentis, proiectis armis, plenus pulveris, ac ſudoris in prę frigidam undam ſe proiecit, & tamen iſtæ, & illæ ſulphure, & bitumine plenæ ob conſimiles qualitates [quemadmodum Peripatetici loqui amant] expeditum, & liberum habent tranſitum ad ignem, nihilominus nativam frigiditatem retinent, invito etiam ſole, qui, iuxta erroneam opinionem, eis impertitur actualem caliditatem, quod niſi falſum omnino eſſet, quomodo ſol munus hoc adimplere in remotiſſimis algentibus Septemtrionis montibus poſſet, in queis emortuam, vel ſaltem ſemivivam lucem Oriens, & Occiduus elargitur? attamen in illis glacie, niveque undique perfuſis montanis, fontes, lacuſque adeò ebullientes reperiuntur, ut duriores etiam carnes in illos iniectę vel citiſſimè elixentur. Patet verum hoc Chadenis, Gothis, Oſtroghotis, Anglicis, Hiberniæ populis, & Orcadum incolis; obſtupeſcunt

cunt Pannoniæ agricolæ, cur ſol non ſolvat, & liquet concretas Danubij undas, & faciat per gelidas eiuſdem ripas excurrere fontem ferventibus lymphis, quem Purgatorium appellant. Non igitur, non mehercule ſol eſt immediata cauſa, cuius ope actu calidæ aquę erumpunt, nam ſolares radij in maximo etiam activitatis vigore non imas telluris latrebas attingunt; Teſtis ſit terra in fervidiori æſtatis parte effoſſa; quam candidam veritatem confirmavit Philoſophus Peripateticus *, Chriſtiq; fidelis ſcribens

Puro clarum lumine Phæbum
Melliflui canit oris Homerus,
Qui tamen intima viſcera terræ
Non valet, aut Pelagi radiorum
Infirma perrumpere luce.

Eminentius philoſophati ſunt, qui evicerunt calorem, actualemque ebullitionem Mineralium aquarum à ſubterraneis ignibus promanare. Permultas rationes, variaque experimenta in medium afferre poſſem, ſed quoniam cordatis viris, verique amatoribus patet, alacriter prętermitto. Satis ſit venerari Empledoclis ** placitum à Seneca relatum, & Servij Grammatici. *Ignes* [inquit Moralis Philoſophus] *multis in locis terra*

Boeth, lib. 5. de con. Phil. In Rom. in 3. Cæncid.

terra opertos tegit, & aquas calefaciendo inalterat, ſi ſubditi ſint ſolo, per quod illarum incurſus eſt. Cauſa huius incendij [ſubdit Servius] *ſecundum Ætnam Virgilij hæc eſt; sunt terræ redundantes ſulphure, ut ferè totus tractus Campaniæ, ubi eſt Veſæuus, & Gaurus montes, quod indicat aquarum odor calentium.* Arriſit etiam horum ſententiæ primitiva gemmans Eccleſia, quemadmodum in actibus D. Martirys Pionis effulget propè mortem decentis. *Vos Decapolim Lydiæ regionem igne combuſtam videtis ad impiorum exemplum uſque in præſentem diem, Ætnæ item incendium, & Siciliæ, atque Liciæ, & Inſularum, quod ſi hæc vobis videntur abeſſe longiùs, cogitate usum aquæ calidæ ex terra ſcaturientis; unde enim, niſi ex igne in intimis terræ partibus ſito contrahit caliditatem?* Omitto recentiorum doctrinas & diſerta verborum ſerie à clariſſimo, & nunquam ſatis laudibus elato præceptore noſtro Ioanne Nardio excurſum claudo. *Stolidus plane eſt, qui thermales fervere aquas perenni ſcaturigine conſpicatus hæſitat, iuſque ignis ſubterranei controvertit.*

T E X T V S.

Hi enim ſunt, qui conventus faciunt quæſtuoſo artis uſu decipientes, & in circulis civitatum verſantes.

O quali, ò quanto divini ſenis gaudio animus perfunderetur, ſi noſtra hac ætate publicas vacare circulatoribus plateas, & abſque hac penes ipſum deteſtabili culpa medicos reſulgere dignoſceret. Perijt tandem, perijt execrandum Agyrtarum gẽus benefico Apollinis favente Numine, manibus ad Cælum erectis iucunda fronte clamaret.

TEXTVS.

Cognoverit autem, quis ex veſtitu, & alijs lineamentis. Quamvis enim fuerint ſplendide ornati, multò magis fugiendi ſunt, & à conſpicientibus odio habendi.

Multo magis Aſclepiadum clariſſime obſtupeſceres, ſi Medicinam facientes, non pallio, non toga indutos, ſapientiæ, & nobilitatis Argumento, nec barbam paſcere intuereris, aſt thorace eleganti, fæmuralibus concinnis, avulſiſque pilis è mento galericumque geſtantes; Sed ut benigniori hoſpitio magnum ſuſcipiamus Hippocratem, ei exploratum credimus temporum viciſſitudini, Vrbiumque moribus indulgendum fore, & veſtiendi ratio, corporiſque cultura, quæ tunc in veneratione erat, modo in ludribrium habitura, dummodo præſentis ęu

Medi-

Medici non adeò indelicijs ſe habeant, & feſtuca peregrinos ritus ad ſe ſe exornandos non quærant. Nec medicamenta Coſmotica crinibus venuſtandis, ſive ab Archigene compoſita, ſive à Galeno recenſita, quibus aut nigrigent, aut rufi evadant, aut in candorem perducantur ſedulò adhibeant; forſan ne medentes ſordes affectare debent, aut deformitatem; quemadmodum de Hermocrate adeò deforme cecinit Martialis, ut Andragoræ in ſomnis apparente illum infami turpitudine occideret?

„ *Lotus nobiſcum eſt hilaris cænavit, & idem*
„ *Inventus mane eſt mortuus Andragoras.*
„ *Tam ſubitæ mortis cauſam Fauſtine requiris?*
„ *In ſomnis medicum viderat Hermocratem*

Improbam, ſævamque novercam Medici iurè appellarent naturam, ſi Gibboſos, Diſtortos, Coclites, Cicatricoſos ipſos progenuiſſet. Fælices ſane illi, & invidenda ſorte ſpectabiles, qui decora ſpecie ditati ægrotantium obtutui ſe ſe offerunt, proprięque virtutis in eorum animos immaginem inſinuāt; Quaſi interioris ſapientiæ energia eſterior quoque cortet, & ſuperficies velut indice, & luce illuſtretur; Sic ſummus ille Architectus excellentibus animis hoſpitia quodammodo præclariora conſtituit. Ha-

ud ſecus ac comitiales metatores videmus inſigniora urbis loca, tectaque commodiora Principibus, Magnatibusque, humiliora miniſtris deſignare.

Vtrum verò in perſanandis morbis potentior ſit Ars vel Natura dubitandi anſam præbuere medicinæ proceres; vel facillimè controverſia dirimitur, at arduum ſanè eſt, quid ſit natura, quidue naturæ nomine proferendum, cum tam variæ apud ſapientię Patres opiniones extiterint. Hinc non mirum Clariſſimum Boyle in ſuo admirabili opere de ipſa natura tam exactè negocium hoc perpendiſſe commonſtrando remoram ad ſcientiarum progreſſus meritò nuncupari, nam in ipſa contemplanda ingenium quodlibet gradus ſiſtit, nec ulterius iter proſequitur explorandi gratia, quid verè proculq; dubio hæc natura ſit, cui tot admirabiles, dotes, & altiſſima munia tribuuntur, toto animo meditans, quid circa ipſam protulit Romani Parẽs eloquij. * *Namq: alij naturã cẽſent uim quãdam ſine ratione cientem motus in corporibus neceſſarios, alij autem vim participem rationis, atque ordinis tamquam vita progredientẽ, declarantemque, quid cuiuſque rei cauſa efficiat, quid ſequatur, cuius ſolertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex conſequi poſſit imitan-*

* lib. de Nat. Deo.

imitando. Sed ne ampliùs expatiemur colligamus vela, aſſerentes multas præter naturam affectiones abſque ullo artis auxilio à ſola natura perſanari, quemadmodum Oppilationes, & Malaciam præſertìm in Virginibus, nullas verò ab arte abſque auxilio naturæ. Ad extrahendam è vulnere ſagittam, & ad nectendum os fractum cruris, aut brachij, Chirurgi opera neceſſariò opus eſt, verùm ſi potens Natura genio ſuo præſtò non ſit, neque carnis generationem, neque Pori Sarcoides, nec cicatricem, oſſiumque firmitudinem aſſequemur.

T E X T V S.

Obuiam itiò.

Singula ad Medicum neceſſaria, utilia, & decora perpendit Divinus ſenex, ideoque, qualis ad ægrotum, & aſſidentes ſe ſe proferre debeat ſapientiſſimè præcipit, obuiam igitur euntibus in limine domus, hilari fronte, oculis blandè inflexis, & palpebris ſuavitèr connictantibus animi ſerenitatem prodat; non umbras expaveſcens, non terriculamenta meditans, veluti mors in propinquo eſſet, infirmum, parentes, amicos exterreat, neve id agere ſibi per calliditatem licere credat, mendacis politicæ opi-

nio-

nione; conſilio Valleſij innixus ſcribentis. *Profecto ad medici honorem, & admirationem artis magis refert prædicere mortem in morituris, quam ſalutem in evaſuris*, ea ratione firmata, ut culpa putetur Medicus vacare, quod prædixerit; verùm pace,veniaque tanti viri, huiuſmodi placitum non me allicit, neque trhait, cum veritati omnino mihi conſonum videatur in eumdem offendere errorem Medicus ille ægrum aſſerens moriturum, & ſanitati reddatur, ac ille ſanitatem prædicens, & moriatur infirmus; ex futuri eventus prænunciatione perfecta vaticinatio colligitur; nonne æqualiter decipitur, qui venturos imbres exiſtimat, & ſerenum cælum eluceat,ac ille qui ſerenũ Cælũ aſſerat, cælumque tonet,& pluat? ſummoperè edoceri deſidero,quis nam dignior ſit gloria, an ille qui prędixit mortẽ, & æger evaſit, an ille qui vitam, & periit? utrũque toto Cælo aberraſſe cõfirmo, nam ſi ad Valleſij mentẽ, moriente ægroto, *culpa putetur medicus vacare, quod prædixerit*, ita pariter evadente ægroto, gloria exornari Medicus putetur quod prædixerit; rectam prædicendi artem aſſequi, non omnibus datum eſt, & ſi ingenij mei mei tenuitas non obſtitiſſet, his vetbis, illam me edocentem totis viribus conatus eſſem audire Galenum. *Cum omnia concinne ſe habent, velu-*

veluti chorus tunc libere eſt proferendum; monitum ęternitatis voluminibus, aureis caracteribus incidendum, quod ut animo perſtringatur, effingamus aliquem, febre maligna correptum, cuius Medicus ab amico efflagitetur, an eius ſalutem ſperet, aut interitum pertimeſcat, ille ſi artem calleat, & ſigna ſalubria, & læthalia ſimul adeſſe reſpiciat; ſumus in certamine, adhuc ſub iudice lis eſt reſpondebit, ſi verò lęthalia tantum ſigna, *veluti chorus*, adeſſe dignoscet tunc liberè obitum enunciabit; atſi ſigna ſalubria; tunc ſanitatem auſpicabitur; Non perſanare aliquem, ſed ritè Mederi omnibus tenerur Medicus, & præter Catholicas leges hoc ſapiens Stagirita patefecit, & lippis & tonſoribus adagium patet.

„ *Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger*,
„ *Interdum docta pluſ valet arte malum*.

Vnicus animus, mens unica, nempè infirmos ſuos ſanitati reddere medentibus inſit, intentiones alias à corde exulet, & præ cæteris avaritiam; ab humanis nempe, diviniſque legibus alienum eſt, liberalis artis profeſſores avaros exiſtere, Hinc (ah Deus avertat) Medicorum ſubſtantias funditus ſæpè ſæpiùs everti contingit. O iucundam animi tranquillitatem eorum, qui ab ægro ſibi traditam mercedem in eius familiæ

miliæ detrimentum redundantem ſolo charitatis titulo recuſarunt. Hi prosperas curationes, Deumque Optimum Maximum retributorem expectent.

T E X T V S.

Gravitatis breviloquentiæ &c.

Iurè, ac merito multiloquos divinus Hippocrates notat, atque redarguit. Habemus ſanguinis in gyrum motus enarratorem; de ipſo præclarè agentem, ipſumque verum veriſſimum commoſtrantem, qui ſtatim paulò poſt falſum falſiſſimum ſubiungit, nempè vix emanato ſanguineæ circulationis inventu perijſſe doctrinam revulſionum, derivationum, interceptionum, maximas praxim Medicam exercentibus utiles, nec non neceſſarias remediorum materias, culpamque adſcribi oculatiſſimo Vvillio, quod nunquam inſomniavit hic auctor; ſcripſit dumtaxat in curanda Pleuritide parum, nihilque referre ab uno, aut ab altero Thoracis latere venam tundere, quemadmodum demonſtratione Anathomica patefecit, verùm in alijs medendis morbis, revulſiones, derivationes, interceptiones, & ipſas interdum evacuationes adhibet. Huius ſyncerę veritatis teſtem exibet ſeipſum hac verbo-

verborum ſerie in curatione Phrenitidis *. *Quapropter, ſi res exigat, vena modo in brachio, aut manu; modo in crure, aut pede, modo in cervice, vel fronte aperiatur*; poteſt ne clariùs loqui, gloſſa ne indiget, vel comentario? parcius (quæſo) parciùs iſta viris.

Mirum in modum obſtupeſco [Maxime medicinæ parens] dum aliquos, qui inſublimiori doctrinę faſtigio florere ſe credunt, te etiam mendacii crimine redarguunt, quemadmodum in aphoriſmo illo, *mulier podagra non laborat, niſi menſtura defecerint*, ad quem aſtruendum errorem Moralis Philoſophi auctoritatem adducunt. *Quid ergo mirandum eſt maximum Medicorum, ac naturæ peritiſſimum in mendacio prehendi cum tot fæminæ pòdagricæ ſint? Beneficium ſexus ſui vitijs perdiderunt, & quia fæminam exverunt, damnatæ ſunt morbis virilibus*; nonne vident, dum à culpa vindicare te iactant graviorem tibi imputare? Aſtrologum ſatius, quam Medicum te effingentes, dum fæminarum intemperantiam, vivendique licentiam futuris ſęculis cognoſcentem te autumant? & quomodo huiuſmodi morum viciſſitudinem lincęis etiam oculis deſpicere poteras? Vt plurimùm, qui malè tractant enſem defendendi vice vulnera infigunt. Non intem,

G pera-

cap. 10. Partis. Patol

perantia tantummodo mulieres podragricas efficit, ſed ſolus menſtruorum defectus, proindeque veriſſimum Hippocratis oraculum; ſed adhuc obganniunt, increpant etiam clamantes; ſi ſingulis menſibus menſtruales purgationes erumpunt, quid ulterius deſiderandum? quibus ego Senecæ venia reſpondeo; Sanguinem iuxta medicorum omnium calculum, quantitate, qualitate, & motu peccare, confitentem me habeant quolibet menſe menſtrua ſufficienti quantitate erumpere, verum non illius qualitatis ſecundum naturę præſcriptum, quæ expurgari debent, scilicet retinentur ille, qui cauſa materialis, & efficiens, remota, & proxima podagræ cenſetur: Hinc cum expreſſerit in alio aphoriſmo; *ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt*; cōplectens purgationes omnes, tum à natura, tum ab arte, tum in acutis, tum in Cronicis paſſionibus confectas, apertè demonſtrans verbis illis *talia qualia*, non de quanto, ſed de quali ſermonem habuiſſe; intelligens aphoriſmos hoſce unum ad alterum referri, unoque nexu teneri, ideſt. *Mulier podagra non laborat, niſi menſtrua defecerint*; Et *ſi talia purgentur, qualia purgari oportet*; nam quando Divinus ſenex de quantitate pertractavit generalem aphoriſmum protulit, *quæ relinquntur in*

Mor-

Morbis poſt indicationem recidivas facere conſueverunt. Complectens dictione illa, *quæ reliquuntur*, quantitatem, qualitatem, & motum; Vnde à Mendacii culpa vindicari non oportebat, nihilque ei gloriæ plauſuſue adiecit. Tibi quoque, Divine Præceptor, prima frõte officere viſus eſt Leonardus de Capua, at ſi ad trutinam revocetur negocium non tanta iniuria, quanta Medicorum Reſpublica opinatur,te afficere confitebitur, ſciebat enim deberi tibi ænconium illud à Macrobio prolatum *nec fallere, nec falli potuit*; Verum quia cunctis placitis tuis ſubſcribere dedignatus eſt, ne putaretur iurare in ver- Magiſtri, confidenter nimis, utpotè bilioſus, ſanguine, & ſpiritu ad fervorem propenſo, exarſit levi occaſione, deprimens ſupercilia, limis,& obliquis oculis contuens, quaſi pugno minitans ad propriæ cauſæ tutelam. Hinc non ſpernendi deſiderio, adverſus Hipocratem im- imputanda Capuani licentia. Fateri (ſi vera loqui adamamus) quiſquis tenetur adeò in Medica facultate præſtantiſſimum fuiſſe Leonardum, ut de eo effari poſſit, habuit Coos ſuum Ippocratem, habuit ſuum Ipocratem, & Parthenope; Oterque, quaterque beati, qui Tyrones illius dogmata percepere, nam inde ſapientes Magiſtri effulxerunt, in quorum flo-

renti cætu Clariſſimus Lucas Tozzius in Medico Cælo Sydus inter maiora ſydera, Occaſus expers elucet. Verùm ſapientum omnium ſuffragio, tantum Hipocrates ingenij, ſapientiæ, bonarumque Artium corona Leonardum excedit.

„ *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Mihique videtur Coorum maximus motum virj huius, non modo non iraſci, ſed Magnanimi Leonis exemplo puſilli Catuli latratus non curat, non vindicatur, ſed illæſa Maieſtate, ſpernit, & parcit, lucem ſiquidem furari ex Sole non quiſquis vapor, ſed nec maiores valent Eclipſes.

TEXTVS.

Inſtabilia enim ſunt, quæ in humidis conſiſtunt.

Ad febrium tractationem præſens textus vel facillimè reduceretur, ſed quoniam de earum eſſentia, & curandi ratione in adiuncta Epiſtola non nihil innuimus, & quoniam integrum opus peregrina, novaque methodo à celebri viro de febribus exaratum, promiſſumque expectamus ideò tacere decernimus: Quouſque ex eo luci tradito clariores, certioreſque doctrinas didicerimus.

FINIS.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine

Præſens excurſus in librum Hippocratis de decenti Ornatu ſatis oſtendit Excellentiſs. Virum Ioannem Andream Moneglia auctorem ſuum, pręclaris dotibus & ſumma eruditione ornatum eſſe. nec quidquam in eo reperitur, quod fidem & pietatem offendat. Sed quod ad virtutem excitet animos, alliciat mentes, ac delectet. In quorum fidem Dat. Florentiæ in Conventu Divæ Annunciatæ Die 17. menſis Iulij 1700.

Frater Iulius Antonius M. Roboredo Ordinis Servorum Beatæ M. Virginis in Vniverſitate Piſana Publicus Sacræ Theologiæ Profeſſor

Imprim.
Nicolaus Caſtellani V. G. F.

De mandato Reveren. Patris Inquiſitoris Generalis Florentiæ Excellentiſſimus Dominus Doctor Franciſcus Guiducci Medicus Phiſicus perlegat attentè præſentem librum, cui titulus eſt *in librum Hippocratis de decenti hornatu Celer Excurſus* & referat, an eiuſdem poſſit permitti impreſſio,

F. Lucius Auguſtinus Cecchini de Bononia Min. Con. Vic. Gen. Sancti Officij Florentiæ.

Reverendiſs. Pater.

De mandato RR. PP. attentè, ſimulq; ſumma admirationi perlegi Celerē Excurſū in librū Hippocratis de Decenti Ornatu Auctore Ioanne Andrea Moneglia, Regiæ Celſitudinis Coſmi III. Magni Hetruriæ Ducis Archiatro, & in Celeberrimo Piſarum Lyceo Medicinam Practicam ordinario loco Edocente, nec in eo inveni aliquid bonis Moribus, & Orthodoxæ fidei obſtans, ſed exornatum veneribus, eſt leporibus eruditione, & doctrina locupletatum. In quorum fidem &c. Datum Florentiæ nono Kal. Auguſti 1700.

Servus Obſequentiſſimus,
Franciſcus Guiduccius.

Attenta ſuperſcripta relazione, Imprimatur F. Auguſtinus Cecchini de Bononia Min. Conv. Vic. Gen. S. Officij Florentiæ.

Imprim.
Philippus Bonarota S. M. D. Aud.

Errata			Sic Corrige
Pagina	verſus		
14.	4.	negligent & temeraria	negligant, & temerarie
15.	14.	hmani	humani
14.	14.	in omni ævo	omni ævo
19.	26.	Frenis	Phrenis
50.	13.	debent	debet
50.	13.	retinentur	retinetur.